This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


Lp
27
251

Sep 27, 251

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

QUALEM APUD ÆTATIS SUÆ STUDIOSOS PERSONAM EGERIT

C. PLINIUS SECUNDUS.

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

L. MOY

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS.

PARIS

ERNEST THORIN, ÉDITEUR

Libraire du Collége de France et de l'École normale supérieure

7, RUE DE MÉDICIS, 7

—

1876

DOUAI. — IMPRIMERIE CERET-CARPENTIER.

QUALEM APUD ÆTATIS SUÆ STUDIOSOS

PERSONAM EGERIT

C. PLINIUS SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Plinius totus in litteris : hinc honestissimæ vitæ dignitatem ; hinc in secundis ornamentum, hinc in adversis solatium petivit; neque ullum ferè reperias qui majorem sui partem in scribendo quasi exprompserit; ita optimi animi ingenuitatem in epistolas effudit, ita nativam hominis bonitatem studia rursus videntur exacuisse, ut, quanquam in quibusdam nimius, tar-

diores tamen ad severitatem posteros invenerit. Paratum ille exemplum omnibus qui aliquid in studiis faciunt : docent viri virtutes, docet etiam si quid peccavit. Nonne igitur jure nostro agere videbimur, si de viro litterarum amantissimo, ipsi litteris toto pectore dediti, anquirere tentabimus? De quo quidem, quamvis tritum iter ingredientes non impellat nova inveniendi fiducia, ubi opportuniùs, ubi excusatiùs disseri potest, quam in hac subeundà apud litteratissimos δοκιμασίᾳ ? Viri igitur gloriæ avidissimi memoriam, quatenus licebit, renovemus; imo si quis piis manibus sensus (cur enim non oratoriè cum oratore ?), Plinio forsan nostro non displicebit hæc scholastica laudatio; quamvis enim in civilibus officiis publicisque muneribus fuerit versatus, ita scholasticos dilexit, ita eorum laudes meruit, imo aucupatus est, ut scholasticis ipse similior haberi possit, quam veteribus illis Romanis quos æmulari sibi videbatur.

Diversissima Epistolarum materies; materiès autem perpetua ipse Plinius ; ipse expressam sui imaginem posteris videtur præparavisse ; cujus tamen non omnem vitam attingere consilium est; hanc tantùm partem vindicamus quæ ad studia et studiosos pertinet. Eo enim amore Plinius litteras complexus est ut cæteros

ad eumdem amorem excitaret ; continuò studentes dilexit, hortatus est, fovit ; a quibus non tantùm amari sed laudari volebat ; huic enim industriæ suberat jactantiæ aliquid et quidam propriæ gloriæ respectus ; magnus amicorum numerus quorum alii illi profuerunt, aliis ipse profuit ; ab utrisque laudatus est. De Plinio igitur vix disseri potest quin et illi attingantur quorum quasi χορηγὸς apparet. Hujus sit igitur operis materia : « *Qualem personam inter ætatis suæ studiosos Plinius* » *egerit ;* » scilicet non tantùm ipsius mores attingemus, sed etiam inter amicos quasi versabimur ; quâ amœnitate, quâ etiam solertiâ (absit verbo invidia) tot homines ad amorem sui simul et laudationem allexerit, locus erit anquirendi ; qualem sibi inter litteratos principatum præparaverit ; quæ fuerint humanissimi regni instrumenta ; quatenùs et sibi et cæteris indulgentior fuerit ; quid ipse debuerit æqualibus, quid illi æquales. Res quidem lubrica ; anceps judicium et quod multis in dignoscendo temperamentis egeat, ne pietas judicio officiat, neve rursus in optimum hominem nimiâ severitate peccetur.

II.

QUANTUM ET QUALE, PLINII TEMPORIBUS, CIRCA LITTERAS STUDIUM.

Dicendum ante omnia quantum fuerit, Trajano principe, circa litteras studium, quanta ambitio; inspicienda scena in quâ mox Plinium primas agentem ostendemus.

Summa illis temporibus scribendi intemperantia: plures causæ et altiùs repetèndæ. Ubi Cæsarum principatus reipublicæ pacem simul et silentium

imposuit, disertissimi cujusque translatum in litteras studium; rarior tunc oratoribus materia, spes minor, periculum majus; tunc quicumque otio dignitatem et securitatem quærebat, ad poesim converti. Quod etiam studium Cæsares, propriæ securitati consulentes (1), gratiâ, præmiis acuerunt, et (quod efficacissimum incitandi genus) proprio sæpius exemplo: eorum enim plerosque carmina in utràque linguâ factitasse constat. Ille etiam Domitianus cujus carmina laudat Martialis, adulandi artifex, proposito Agone Capitolino, poetas adhortari visus est: homini scilicet philosophiæ omnisque altioris ingenii inimico, non displicebat Musas in circumscripto quasi curriculo, inspectante principe, decurrere; pauciora tamen ingenia, ut solet, excitaverunt publica præmia, quàm retardavit suspicax Cæsaris ingenium et plena periculorum servitus. Regnantibus tandem Nervâ et Trajano, rediit animus; tum oratoribus, tum historicis, tum etiam poetis largior materia; frequentius litterarum studium, quia securius; impositumque diu silentium eò acriùs in festinationem erupit, quod illi etiam qui scriberent

(1) Tacite, Dial. X. Minus obnoxium offendere poetarum quam oratorum studium.

redditam scribendi securitatem Trajano quasi gratularentur.

Hos autem studiosos quænam tum apud grammaticum, tum apud rhetorem institutio formaverat? Scilicet eò tendit totus educantium labor ut poetas efficiat aut oratores. Quid aliud grammaticus nisi utriusque linguæ poetas pueris proponit ediscendos? Nec veterum modo, sed etiam æqualium præleguntur carmina, qui quidem, ut propiores, acrius injiciunt ad imitationem incitamentum. Quid rhetor? Ingenia continuò ad scribendi ambitionem incitat, nedum certâ priùs muniat multarum rerum scientiâ; rariores apud discipulos libri, stylus frequentior; irritant etiam argumentorum ineptiæ quidquid adolescentulorum ingenio tumidum subest aut putidum; nullus circa res inveniendas aut ordinandas labor, plurimus circa verba; sordet argumentandi tristitia; flosculi captantur. Ubi necessaria illa in docendo severitas? In ludum tanquam in publicam verborum officinam intrat otiosus quilibet, dumque audit, nocet; desidiosis enim et cursim audientibus tum magister, tum discipuli per orationis lasciviam lenocinantur. Quid verò? alunt ipsi parentes filiorum jactantiam; declamantem puerum admiratur pater cum amicis

ad plaudendum adductis (1). Ita scholæ adolescentes dimittunt in venditationem ingenii compositos, nec multa modò scripturos, sed putida.

Non tamen improbationi tantùm locus: quum tot illis temporibus voluptates sæpius perversæ, certè inanes, juvenem sollicitarent et distringerent, laudandus ille qui partem temporis in rem, ut videbatur, seriam seponebat: neque tum severiùs judicandum quomodo quis scripserit, dum vigilaverit in re honestâ, et illud ex labore præmium, illam laudem receperit, laboravisse. Ergo litterarum studium quasi forma quædam honestatis, et commendatio apud meliores. Apud Spurinnam aut Silium Italicum, ne plures nominem litteratissimos senes, quorum vel in recessu magna adhuc auctoritas et perutilis laudatio, gratiosi quidem illi (nec immeritò) qui sollicitatam voluptatibus juventutem studio et litteris dicabant; quò quis studiosior, eò melior habebatur. Quo minùs mirum sit, quod Plinius in commendandis amicorum moribus, litteras nominet et orationis elegantiam, quodque, dum Calvisio Nepoti semestrem tribunatum petit, virum

(1) Persius, 3. 48. Quæ pater adductis sudans audiret amicis.

non modo *industrium rectumque* laudet, sed etiam *disertum*; (IV. 4) perperam ergo in illud *disertum* Gierigius offendit, quod in tribuno militari eloquentia non magnopere desideranda fuerit. Inde major ad litteras concursus, honestas quidem atque utiles, quæ et vitæ jucunditatem afferrent et dignitati incrementum.

De Statio, de Martiali, cæterisque qui litteras in quæstu habent, aliàs disserendi locus erit: nunc cum iis tantum res est qui quidem permulti, honesto loco orti, fortunisque plerique abundantes, ideo scribunt ut sibi amicisque placeant, quæsitâque elegantiæ famâ et inter doctos repositi, dignitatem exornent atque augeant. Nulla ætas ab illâ ambitione aliena: siquidem Q. Sulpicius Maximus, nondum duodecimum annum egressus, ex Agone Capitolino, compositis ex tempore versibus græcis, victor exiit (1); honoratissimi vero senes Silium Italicum imitantur qui, relictis publicæ vitæ muneribus,

Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos;
(Mart. VII, 63.)

Sic Antoninus, Antonini Pii avus maternus (IV, 3),

(1) Visconti. – De sepulchro pueri. Q. Sulp. Maximi. Romæ 1871.

sic multi alii. Quid viri etiam in ipso honorum decursu occupatissimi? Titinius Capito qui regnantibus Domitiano, Nervâ, Trajano, fuit ab epistolis, non modo recitat ipse, sed « domum suam recitantibus præbet, auditoria non apud se tantum mirâ benignitate frequentat. » Domitiani quoque ferebantur

..... Capitolini cœlestia carmina belli ;
(Mart. V. 5.)

De Cometâ Titus Imperator in quinto consulatu, præclaro (si Plinio Majori creditur, I. 22), carmine perscripsit ; Nerva denique versiculos composuit (V, 3). In conviviis sæpius vel liber legitur, vel audiuntur comœdi, aut lyristæ; frequens inter comissantes de litteris disputatio ; nec quisquam bellus homo habeatur, qui sermones, relatis versibus, non condire valeat. Quicumque in municipiis provincialem illam rubiginem eluere cupiunt, urbanitatis famam ex litteris consectantur, seque in hunc studiosorum cœtum adscisci laborant, ut Comensis ille Caninius cui non tantùm urbanos de litteris nuntios municeps Plinius mittere solet, sed scribentem laudat, pollicetur gloriam, materias etiam scribendi suggerit (III, 7. VIII, 4. IX, 33). Quorsum verò tot argumenta, ubi unum sufficiat? Feminæ, elegantiarum artifices, litteras inter lenocinia

assumunt, et nisi doctæ sunt, saltem videri volunt; multæ, ubi discumbere cœperunt, vates comparant; habent matronæ dicendi genus; nec omni marito solœcismum fecisse licet. (Juv. VI, 440 et seq.) Pompeius Saturninus legebat epistolas quas uxoris esse dicebat. Pl. I, 16.) At dicenti diffidit Plinius? Eò manifestius morum indicium est, si ab uxorio conjuge facundiæ gloriolam mulier mutuata sit, alienamque eloquentiam (ut alienos multæ capillos), inter munditias annumeraverit.

Illud autem notandum quod in tam benigno studiosorum proventu, non major fermè audientium legentiumque numerus quam scribentium. Alii aliis invicem auditores, et mutuantur admirationem; dum eâdem intemperantiâ et eloquentiam consectantur et approbare volunt, venantur qui aures commodent, novosque semper collegas in istam quasi φρατρίαν alliciunt. Quid inde? ea scribuntur quæ ab eruditis tantùm intelligi possint. Romanarum quidem litterarum ea semper fortuna fuit, ut optimatum oblectamenta forent, nedum ad populum (ista fuit Græcorum gloria), pervenirent. Nusquam autem aliàs arctior ad illam quasi studiosorum civitatem aditus. Non impunè verò litteræ cum populo divortium habent, ut in quodam vel elegantium sodalitio exerceantur: major illa res quàm ut in paucos

cadat, dumque cœlum desiderat, doctissimo etiam in μουσείῳ languescit. Deficiat tempus si multiplices scribendi formas, si tot curiosa poematiorum genera enumerare velim : nascuntur in utrâque linguâ orationes, epistolæ, historiæ, epigrammata, idyllia, comœdiæ, mimiambi, epica etiam, si Diis placet, omnia tandem quæ, multiformia, *libellorum* aut *poematiorum* nomine designantur. Multi etiam dum græcè scribunt Romani, eruditos tantùm a se provocari confitentur. Neque singula singulis genera sufficiunt; plerique in pluribus elaborant et in diversa pari securitate transeunt, quippe qui vanitate magis quàm judicio ducantur. Quid mirum igitur si proprium sit hujus ætatis, antiquos imitari? Suetum hoc semper Romanorum ingenio; tum verò frequentiùs quàm unquam in litteris usitatum. Recens enim poeta, dum veterem imitatur, quasi pietatem operi prætendit, et gratioso se apud eruditos patrocinio tuetur; illinc facilior audientium indulgentia si quæ laudanda apud æqualem habeat, jam antea apud veteres laudata sint, grataque severitatem memoria retardet. Ut multos omittam, Propertium priùs, deinde Horatium Pass. Paulus; Catullum Calvumque tum Saturninus, tum Augurinus imitantur. Nullus fere qui sibi tantùm similis esse audeat; languent litteræ in veteri quasi curriculo inclusæ. Novum hoc tantùm quod antiquos,

dum sibi cœterisque imitari videntur, deformant: quis enim imitando modum teneat? Adduntur antiquæ simplicitati ornamenta; invenienda quæ fastidientes stomachos moveant; excogitandum denique unde vincantur audientium tædium et inertia.

II.

DE VITA PLINII.

Totam Plinii vitam singillatim enarrare hujus operis rationi non sit consentaneum; res alioquin ab eruditissimo viro diligentiùs disputata (1); ea tantùm referemus quæ ad informandam illam quam effingere tentamus Plinii personam, aliquid valuisse videbuntur.

(1) Cf Th. Mommsen : de Plinio secundo.

Mortuo Lucio Cæcilio patre, Plinius noster adolescentiæ rectorem Plinium avunculum habuit, cujus etiam in nomen, per testamentum adoptatus, transiit. Pueri autem educationi avunculus præfuisse videtur: quo enim die Vesuvium periturus petebat, illi forte quod scriberet dederat (VI. 16). Tali quidem in contubernio laboriosam Plinius noster adolescentiam profectò exercuit. Viri enim incredibile studium, summa vigilantia; occupatissimi dies; noctibus quoque utebatur; in itinere etiam notarius ad latus cum libro et pugillaribus, ne quod tempus studio periret. (III. 5) Romæ quoque (ea erat temporis parcimonia) sellâ vehebatur, lecturus aliquid aut excerpturus; adolescentem etiam (o severitas!) corripuit aliquando cur ambularet: « Poteras, inquit, has horas non perdere. » His ergo præceptis imbutum, his exemplis informatum est docile adolescentis ingenium: documento est tota Plinii vita et pietas grataque in avunculum memoria. « Soleo, inquit, ridere, quum me quidam studiosum vocant, qui, si comparer illi, sim desidiosissimus.» (III.5.) Quatenùs piæ isti modestiæ credendum sit, incertum; certè in hoc tirocinio didicit quod præcipuum in hominis vitâ, laborare.

Illa autem avunculi in informando puero auctoritas

non ultra fere prætextam duravit (annos enim duodeviginti noster natus erat, quum Plinius decessit) neque in totum adolescentem descendit: par enim apud utrumque studium, dissimilis studii materies, dissimillimum ingenium. Improbus avunculi circa rerum naturam labor; ardor inquietus nova semper cognoscendi; qui quidem nullum malum librum duceret, unde excerpendum aliquid, quod in immensa volumina, tanquam in thesaurum, studio majore quàm judicio, congereret. Noster contra ea potissimum legere quæ ad scribendum proficerent; ingenium libentiùs ornare quam munire doctrinâ; multò etiam sæpius scribere quàm legere, et ea scribere quæ placerent magis quam docerent. Suberat autem adolescentis ingenio festivitas quædam, quam non delibavit illa quæ omnes avunculi libros quasi contristat amaritudo : ille enim ut novercam naturam increpat! ut Diis irridet quos finxit humana socordia ! (VII. 1) ut miseret atque pudet æstimantem quàm sit frivola hominis superbia! illud etiam alteram vitam sperandi solatium damnat, illuditque reviviscendi promissam vanitatem, quæ perdat profectò præcipuum naturæ bonum, mortem (VII, 55). De his quid Plinius noster senserit aliàs disseretur: hanc autem tristitiam effugit lætior adolescentis indoles, omnemque in amœnitatem ita composita, ut

quidquid morosum esset aut invidiosum sponte vitaret, sueta in mediis consistere, ubi nulla cujusquam offensio. Magna quidem Plinii ad casus humanos mollities; prævaluit tamen in judicandâ hominum conditione benignitas; vitâque indulgentiùs fruitus est, nedum criminosè corriperet.

Virginium Rufum Plinio tutorem fortuna dedit : utrique eadem regio, municipia finitima, agri etiam possessionesque conjunctæ (2. 1). Vir publicis privatisque virtutibus insignis, et exemplar ævi prioris, qui, quum sub Neronis exitum Germanicis legionibus præesset, imperium nec ipse suscipere voluit, nec pati ut ad alium quàm quem senatus destinasset, transferretur : principibus deinde propter gloriam suspectus, militibus etiam quos fastidierat, invisus, per multa pericula, in summâ omnium admiratione, usque ad Nervæ principatum vitam produxit, tanquam ad publici funeris honorem reservatus. Is in Plinium affectum patris exhibuit, eumque fovit, protulit, senatorem prætoriumque reliquit. Grave illud Plinio exemplum, præsensque ad virtutem gloriamque per honestas artes consectandam hortamentum. Noster enim laudum avidissimus, nec honestus modo, sed qui honestatem approbare cuperet, tantò magis cereus ad exemplum et ad imitationem facilis. Illius commendatione optimis

traditus est et placuit : quo quidem quid illis temporibus adolescenti utilius? Patet enim quasi bivium: hinc Neroniani mores, ardens histrionum artiumque ludicrarum favor, effusa in omnes voluptates libido, veteris disciplinæ contemptus, rapida per audaciam pravamque ambitionem fortuna, quæsita apud principes ex vitiorum imitatione gratia : illinc pertinax paucorum severitas, præsentium aspernatio, invidiosa multis imitatio priorum, honores merendo quæsiti, lentius dignitatis fortunarumque incrementum, periculosa aliquando virtus, et ex bonorum amicitiâ, crimen. Virginium æmulatus, Plinius ad meliora divertit, et optimum adolescentem eòdem quò natura, fortuna inclinavit.

Quintilianum præceptorem nactus est, omnibus omnis ætatis præceptoribus exemplar. Magnam autem fuisse magistri apud discipulum auctoritatem testatur gratus discipuli animus et veneratio. Nota illa Plinii ad Quintilianum epistola (VI, 32) quâ locandæ filiæ dotem offert, de quâ non facile dixeris utrum laudandum magis, ipsumne donum an donantis animus. Certè gratissima apud illum manere solet magistri memoria, in quem informandum maximè magister valuit. Porro sanctissima apud Quintilianum eloquentiæ imago,

summa nobilissimi operis reverentia : ille enim non ornandum tantùm adolescentis ingenium, sed fingendos mores credidit; ille hunc tantùm oratorem habuit *virum bonum dicendi peritum;* ille facundiam istam quasi piraticam damnavit, his temporibus frequentiorem, ad inferenda cæteris pericula natam; necnon pueriles scholasticorum ineptias et infelicem circa verba, omissis rebus, curiositatem ; ille oratorem multorum lectione jurisque scientiâ instruxit, neque ad perorandam causam nisi cum quâdam operis veneratione accedere sinit, nisi scilicet rem penitùs perspexerit, litigantem attentiùs audiverit, conquisierit argumenta, omnia denique præparaverit, quæ præparari possunt: Plinium autem talem potissimùm in agendo videmus, qualem requirit magister. Ad hoc prævalebat eo tempore nimia in Senecam admiratio ; cujus quidem, ut fit, vitia potiùs quàm virtutes multi imitabantur; jactantior autem circa sententias lascivia istis moribus mirè congruebat; eloquentia enim morum imago; quisque igitur veteris disciplinæ pertæsus, sibi constabat, quum veteres oratores deprimeret, ut gelidos, nimiisque ambagibus immorantes. Ciceronis famam Quintilianus relevare, et ad sanius de veteribus judicium æquales reducere tentavit: quod quidem quum in scholâ faceret, eòdem Plinii ingenium dirigebat, quò jam ejus mores inclinaverat Virginii Rufi auctoritas.

Summam inde in Ciceronem veteresque Plinius admirationem concepit, et studium æmulandi ; et ortum est ab utroque optatissimum apud adolescentem votum, honestusque, (laborne dicam an error?) vitâ antiquos, Tullium eloquentiâ referre. Non potest mehercule fieri quin multa nobis nescientibus etiam aut invitis æquales allinant; neque Plinium tempori suo dissimilem fuisse contendere velim. Plura tamen testantur non in irritum cecidisse magistri præcepta; amputatam enim et abscissam orationem Plinio scimus displicuisse, (I. 20) latam contra, et magnificam et excelsam probat: et in Panegyrico, quamvis severior desideretur simplicitas, aliquid tamen Ciceronianæ amplitudinis, et largius, ut in eo tempore, periodi curriculum. Illud denique in Quintiliani laudem notandum, quod Plinius semper magnum in scholasticos amorem retinuit; horum enim in contubernio sese oblectavit; (I. 24) quo quidem genere hominum nullum esse sincerius, nullum melius affirmat; quibus etiam , quum amicissimus esset, et aliquatenus similis fuit.

His instructus, Plinius vitæ tirocinium suscepit, studiosumque adolescentem præcox facundia, illustres amicitiæ, verecundia in optimos senes citò protulerunt; quippe qui honestissimo ambitûs generi inniteretur, honestorum scilicet commendationem merendo affectare; jucundissimum hominem fortuna quasi li-

bentiùs fovit; ipsaque rursùs indolis jucunditas faventem jam fortunam quasi sollicitavit. Facilis ergo decursus honorum, prona via. Vix prima in foro stipendia fecerat, quum adolescentulus in Syriâ militavit (I. 10; III. 11 & passim); eorum autem more qui honores petituri, annua tantùm aut semestria in castris stipendia merebant, mitissima quidem militia et litterata; apud illum enim qui indulgentiùs quidquid ad veteris disciplinæ imitationem referri possit, venditare solet, nulla mentio laborum; miles perinde ac togatus studuisse videtur; studiosorum amicitias et commendationem ex militiâ, simul ac spem honorum, retulit. Euphratem et Artemidorum philosophos audiit; hujus socerum C. Musonium cum admiratione dilexit. Anno deinde 90 quæstor factus est; anno 92 tribunus plebis; anno 94 prætor; anno denique 96 senatorem eum invenimus. Qui quidem honores, Domitiano principe, impetrati, aditum ad consulatum aperiebant, quem, anno 100, Trajano regnante, consecutus est. Anno deinde 104 auguratum obtinuit; anno etiam 105 (vel 107) curator alvei Tiberis factus est; anno 111 legatus Bithyniæ. Ne felicitati quidem defuit Domitiani invidia, quam meruit, quum, submotis ab Urbe philosophis, Artemidorum in suburbano prætor invisit (III. 11). Obfuit tunc quæ ante profuerat bonorum amicitia; patronorum illustrissimi sub exitum Domi-

tiani aut occisi fuerant aut relegati. Honestum semper, utile aliquando officio fungi; eo tempore Plinio exitium ab Cæsare imminebat, quo salutem civitati fata præparabant: ita fides, periculosa aliquamdiu, bonorum amicitias, et antea non erravisse comprobavit, et confirmavit in posterum; illud etiam a Domitiano periculum, apud novos principes commendatio.

Hæc autem fortunæ facilitas aliquid in informandam Plinii indolem valuisse videtur : scilicet non circa initia diu reptavit dignitas; ad majora enitenti et hominum favor et tempora arrisere; in hâc felicitate nulla unquam ægritudinis materies. Multis quidem vel nescientibus subest ægra quædam adversus morantem fortunam offensio; præsentium impatientia, infensa felicioribus æmulatio quamdam exasperare solet in rebus hominibusque judicandis morositatem. Plinio autem contra fuit; quæ sæpius superbiam irritat et asperitatem prompta felicitas, innatam animi humanitatem confirmavit: quippe ista vitæ facilitas indolis facilitatem videtur auxisse, et indulgentiam docuit ipsa rerum hominumque indulgentia.

Hæc, ut videtur, Plinium informaverant, quum eum Trajani temporibus honoratum multisque dilectum videmus, et quamdam in litteris, necnon in civitate personam gerentem.

III.

QUÆ FUERIT PLINII INDOLES.

Unde tanta Plinio apud æquales, imo apud posteros gratia? Num tota ad litteras referenda? Non equidem crediderim : sed admirationi æqualium, nostræ etiam existimationi, subest indulgentia quædam, quam non ingenium modò viri meruit, sed optima indoles et morum sanctitas. Libentiùs scilicet (quod quidem tum Plinio, tum humanæ naturæ honestum) laudatur apud optimum hominem eloquentia; utque Plinius multum

amicitiis debuit, ita amicitias mores meruere. De his igitur attentiùs disserendum.

Hoc autem ante omnia notabile quod Plinii mores, ipso laudante, approbamus. Rarum quidem illud quod semet laudanti credatur. Nonne autem jure Plinio, quamvis nimius sæpe in sui venditatione inveniatur, assentimur tamen, nec propriam causam agenti diffidimus? Primùm, ut videtur, non semetipsum ita potuisset extollere, nisi cœterorum consensum quasi præsensisset: prærogativum quidem de se suffragium tulit, sed suffragati sunt æquales; quorum igitur jure, dum Plinio credimus, testimonio innitimur. Deinde ea in epistolis ingenuitas, is veritatis color, ut diffidere nolimus : multa contra passim inveniuntur quæ non in ambitionem ficta credere velis, sed ex optimo pectore sponte defluxisse. Illud etiam adde optimæ naturæ indicium, quod jactantia indulgentiæ non obfuerit, nec propriam laudem, ut fit, ex aliorum reprehensione Plinius quæsierit; imo contra, nulla in quemquam malignitas; amicis verò perinde ac sibi indulsit, quibus in laudandis fuit ingeniosissimus, nimius etiam aliquando, ut a quibusdam reprehenderetur. Nullam profectò diligentiùs quam propriæ gloriæ causam egit orator noster; ita verò egit, ut apud judices obtineret; inde etiam peculiare sibi idemque rarissimum decus retulit ut,

quamvis nimius sui laudator deprehendatur, taceat invidia, favor emineat.

Sancta Plinii domus et conjunctissima : Calpurniam uxorem quo dilexerit amore plures epistolæ testantur. (VI. 4; VI. 7; VII. 5.) Propter valetudinem in Campaniam secedentem desiderio prosequitur. « Nunc verò quum absentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio, incertâ et variâ sollicitudine exterret. Vereor omnia; imaginor omnia; quæque natura metuentium est, ea maximè mihi, quæ maximè abominor, fingo (VI. 4). » Eò acrius desiderium quod non abesse consueverant (VII. 5). Abortum deinde passam dolet, et apud prosocerum puellarem imprudentiam per socrum excusat : « Excusa patri tuo casum, cui paratior apud feminas venia est (VIII. 11). » Nullum verò manifestius concordiæ documentum quàm quòd uxorem ad similitudinem sui effinxerat, quippe quæ studium litterarum ex mariti caritate concepisset (IV. 19). Scilicet jactantiorem in litteris maritum nacta, jactantior ipsa in gloriâ mariti facta est. Certissima profectò via quâ puella sibi apud conjugem auctoritatem pararet : simplicem verò et ingenuam admirationem quis in dubio ponat, quam a pueris apud ipsam matrem ex Plinii prædicatione didicisset ? At Plinio in laudandâ castitate mulieris, in

prædicandâ domestîcâ felicitate, modus defuit? Hoc verò Plinii proprium, ut, quum de se suisque loquitur, modum transeat, maneat tamen extra invidiam ingenuitas, et anceps aliquandiu judicium in indulgentiam inclinet.

Arctissima cum propinquis caritatis vincula. Quid enim? Empturus prædia, pecuniam a socru accipiet « cujus arcâ non secus ac suâ utitur. » (III. 19). Fabatum prosocerum desideratus invisit : « Contingat modò te filiamque tuam fortes invenire; nam hilares certum est, si nos incolumes receperitis. » (IV. 1.) Quanta verò in servos libertosque non indulgentia modò, sed mollities animi! Illi semper in animo Homericum illud :

πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν

Zozimum propter infirmam valetudinem in Ægyptum missum, Forojulium deinde in Paullini prædia mittit, ubi salubris aer et lac hujusmodi curationibus accommodatissimum (V. 19). De lectore Encolpio vehementer sollicitus; « sed Dii meliora promittunt (VIII. 15). » Illum infirmitates servorum et mortes conficiunt; « solatia duo, nequaquàm paria tanto dolori : unum facilitas manumittendi, alterum quòd permitto servis quoque quasi testamenta facere, eaque ut legitima custodio. (VIII. 16.) » Quid verò indulgentiam certiùs

probat quam illa ad socrum epistola, ubi eam in prœdia invitat : « Facias velim, inquit, ut mei expergiscantur aliquandò, qui me securè et prope negligenter exspectant; nam mitium dominorum apud servos ipsâ consuetudine metus exolescit (I. 4). »

Quot in epistolis, quàmque molliter amicorum casibus illacrymet, utilitatibus inserviat, enumerare longiùs; multos propriâ pecuniâ sublevavit; municipes frequentibus donis auxit : eaque offerentis amœnitas ut nulla sit accipiendi verecundia ; neque Plinium in eâ re satis laudare possemus, nisi cæteris ipse narrasset. Nusquam verò melior apparet quam quum de humilioribus amicis agitur: multi enim, dum inferiores commendant, propriæ indolis dant experimentum ; commendationi sæpius arrogantia quædam subest aut negligentia : Plinius verò amicorum negotia vel minima ita diligenter tractat, ita molliter quidquid difficilius subest attingit, ita denique fidem et amicitiam profert, ut in cæteris commendandis, ipse commendetur. (Cf. I. 14. Ubi Acilianum Maurico ut neptis sponsum commendat; —VI 3 De dato mutrici agello; —I. 23 De agello quem Tranquillus vult emere.)

Hàc autem in militiâ vitæ illa optimi animi humanitas erret aliquando et deficiat, nisi firmo quasi fundamento innitatur : summa semper Plinii fides, magna

aliquando constantia. Adolescentulus contra potentissimos civitatis atque etiam Cæsaris amicos in judicio steterat. (I. 18) Sæviente Domitiano, in memoriam occisorum, et in relegatorum amicitiam fidus permansit. Bæbium Massam, Marium Priscum proconsules accusavit. Nusquam autem constantiùs egit quam in Helvidii ultione: auctor mortis Publicius Certus, qui, mortuo Domitiano, magnis fultus amicitiis omne periculum effugisse videbatur. Tum recens libertas, et, sub novo principe, quasi timida; hesterna adhuc servitus; incerta spes futuri; optata multis præteritorum impunitas: Certum tamen consulem designatum Plinius inter cunctantes dehortantesque accusavit, senatumque tandem in constantiæ imitationem laudationemque adduxit (IX. 13). Ita vir, animo mollissimus, qui nihil acriùs optaret quàm amari, omnemque cujuslibet offensionem refugeret, honestas aliqando offensas suscepit; ratus scilicet illos firmissimè amari qui maximè probantur: « fides, inquit, in præsentia eos quibus resistit offendit; deinde et ab illis ipsis suspicitur laudaturque. » (III. 9).

. Nota Plinii in Regulum inimicitia, eo tempore suscepta, quo, regnante Domitiano, Regulus et optimis Plinii amicis, et ipsi Plinio pericula tum facessiverat, tum minabatur. Everso autem scelesto principe, vigebant adhuc, ut fit, in Urbe, qui scelesti principatùs

instrumenta fuerant. Regulus enim δυσκαθαίρετος, locuples, factiosus; curabatur a multis, timebatur a pluribus, quod plerumque fortius amore est; pertinax tamen odium Plinii; et in gratiam redire tentantem (I. 5), operam etiam interponente (o tempora !) Vestricio Spurinnâ, repulit. Neque incessere desiit hunc « bipedum nequissimum, » perfidum, perjurum, in testamentorum captatione impudentissimum (II. 20). Mortuo Reguli filio, irridet non dolorem patris, sed doloris ostentationem; indignatur quòd ad eum mirâ celebritate conveniant homines; quòd, dum cuncti detestantur, oderunt, quasi probent et diligant, cursent, frequentent: « vexat ergo civitatem insaluberrimo tempore, et, quòd vexat, solatium putat. » (IV. 2.) Regulus verò filium luget, ut nemo : omnibus officinis effinguntur pueri imagines; de pueri vitâ recitat pater; librum etiam in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam provinciasque dimittit; scribit etiam publicè ut è decurionibus eligatur vocalissimus quisque, qui legat eum populo. Irascitur Plinius, et per epistolam, Comensium indignationem et risum præoccupat; arreptâ occasione, eloquentiam Reguli dilacerat : « Imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla; nihil denique præter ingenium insanum; et tamen eò impudentiâ ipsoque illo furore pervenit, ut a plurimis orator

habeatur. Itaque Herennius Senicio mirificè Catonis illud de oratore in hunc è contrario vertit: « Orator est vir malus dicendi imperitus (IV. 7). » Quod Regulo tam vehementer indignetur, non equidem admiror; quæ enim carissima nostro fuerunt, læserat Regulus; hinc enim amicorum honestissimis infestus fuerat; illinc ipsius eloquentiam verterat in ridiculum: et illum qui aliquid in litteris sapit, vel ultra quàm satis est irascentem excuso, quum stultum a stultis aut officiosis laudatum videt. Mallem tamen Plinius, omissâ illâ, mortuo puero, doloris ostentatione, aliam lacessendi occasionem arripuisset; mallem etiam in talem virum quamdam in contemnendo tranquillitatem, quàm illum indignandi impetum. Neque enim optimum est constantiæ indicium, si irascaris. Firmissimus ille qui, consilii certus, non sibi quasi addit stimulos, sed vultu suo rem deliberatam perficit, et dehortantibus, sicut ille Corellius a Plinio laudatus, respondet κέκριται (I. 12). Non ea Plinii firmitas: ita dum de persequendâ Helvidii ultione cogitabat, rem ad eumdem hunc Corellium, contra solitum, non retulit, veritus ne vetaret (IX. 13). Honestissima quidem viri constantia; deest autem illa securitas quæ constantiam exornat atque consummat; huic contra subest turbidum nescio quid et anxium; nec, ut ita dicam, altiora per planum adit, sed impetu quodam ad ea sese excitat atque evehit.

Ita, quo tempore tot circa eum jactis fulminibus quasi ambustus, sibi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurabatur, integra in miseros fides, Artemidorum etiam philosophum, ab urbe submotum prætor invisebat; illud verò notandum: multa in Plinii dono prodigia: dormientes pueros exterrent nocturnæ species; anxia familia et ad credulitatem promptior; credulus ipse dominus, necnon sollicitus (VII. 27). Aliter quidem Thraseas; quis verò homini invideat quod non Thraseæ similior videatur? aut sollicitudinem reprehendat, quæ præstandæ fidei non obfuerit?

Præcipuum verò vitæ honestamentum Plinius ex antiquitatis imitatione quæsivit: neque ulla res manifestiùs fessas desperatasque res Romanas arguerit, quàm illa ad prætèrita respiciendi pertinacia, et optatissimum apud meliores votum, ut in præsentia veterem disciplinam reducant. In tantâ autem publicorum privatorumque morum perversione, nullus ad beatum errorem facilior quàm Plinius. Hinc Quintilianus magister, illinc optimorum amicitiæ ad id impulerunt, ut antiquis vellet similis esse; causa fuit vanitas cur similis esse crederet. Frequentissimâ laudandi formâ amicos, aut antiquos dicit, aut antiquis similes; victorias Trajano ut antiquissimas gratulatur; gaudet

ipse quod a Nervâ similis antiquis repertus fuerit (VII. 33). Tribunus plebis, magistratum non inanem umbram esse vult, et sine honore nomen, sed sacrosanctam potestatem (I. 23). Domestica vita in imitationem antiquorum non sine ostentatione quâdam composita: Circensibus ne levissimè quidem teneri profitetur (IX. 6): modica semper, vocatis etiam amicis, cœna ; aliis placeant ostrea, vulvæ, echini, Gaditanæ ; apud Plinium comœdus, lyristes, lector, studiosa comissatio (I. 15). Magnus tum apud feminas, si Juvenali creditur, cantorum favor (VI. 379) : cantat Plinii uxor, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus (IV. 19). Nullum Corinthium domi habet, seque in istis tirunculum jactat (III. 6). Ipsa res familiaris antiquo more disposita; « sum totus in prædiis. » (III. 19). — Quis verò honestissimè errantiinvideat? Quippe Neroni superfuerant Neroniani mores; laudandus noster quod, meliora sectatus, antiquos imitari conetur, quamvis in imitationis jactatione reprehendendus.

IV.

QUAM IMMODICUS PLINIUS IN STUDENDO.

Illud quidem « humaniores litteræ » nullis meliùs quam Plinii studiis convenit; apud quem litteræ non lusus quidam aut oblectamentum fuere, sed tanquam honestatis exercitatio : « quod religiosissimè custodiendum, inquit, ipsa studia præcipiunt (VIII. 9) ; » necnon : « faciunt studia ut adversa magis intelligam, patientiùs feram. » Paratior igitur venia si nimius in optimis fuerit, nec peccantem aliquis sine reverentiâ quâdam reprehendat.

Quis autem locus illâ studendi continuitate Plinio vacavit? Studet ubique, in lecto, in rhedâ, in ambulatione, in convivio. Si ad venandum proficiscentem sequaris, non panarium modò et lagunculam ferentem

videas, sed pugillares ; mirum quidem si apri in meditantis retia incidant; incerta quidem venanti præda, plenas verò ceras reportabit ; quid enim ? non prædam venatur, sed silvas et solitudinem, ipsumque illud silentium quod venationi datur, magna cogitanti incitamenta (I.6). Num ille, qui se veteribus similem jactat, rusticatur sicut ille Cato, ut terræ fructum inspiciat, agrosque colonos, duro Romanoque more, exerceat ? An, Flacci more, ut philosophandi otium quærat, et sibi reddatur? Imò verò: rura illi μουσεῖον, quæ multa inveniunt, multa dictant (I. 9). Arridet Laurentinum, quod semper illi in reditu : ibi enim plurimùm scribit, nec agrum, sed se ipsum studiis excolit (IV. 6). Rusticantem subit indignatiuncula, « quòd multis undique rusticorum libellis inquietatur ; quos aliquantò magis invitus, quam suos legit. » (IX. 15.) Interdum tamen equum conscendit ; et patremfamilias hactenùs agit, quod aliquam partem prædiorum, sed pro gestatione, percurrit (IX. 15). Negligentem dominum obsident querelæ rusticorum, qui ejus auribus post longum tempus abutuntur (VII. 3). Instat etiam agrorum locandorum necessitas : dolet dominus (o veterem Catonis circa fundum parcimoniam!) quia precariò studeat. Dolet etiam quod præfectus ærarii sedeat pro tribunali, subnotet tabellas, conficiat tabulas, scribat pluri-

mas, sed illitteratissimas litteras (I. 10); et querentem nequidquam Euphrates philosophus consolatur : hanc scilicet philosophiæ partem esse, et quidem pulcherrimam, agere negotium publicum. Hunc autem nostrum, utrum veteribus Romanis similiorem invenimus, an illi apud Poquelinum Philamintæ, quæ dum studiis incumbit, totam domûs administrationem negligit, et tabellionem increpat tabulas sponsales illitteratissimè conficientem ? Litteratissimus ipse domûs apparatus ; lector, notarius, comœdi, lyristæ ; multi in domesticorum numero eruditi ; magna res agitur, si quid dominus recitaturus est ; sedet uxor in proximo, discreta velo, conjugis laudes avidissimis auribus excipiens ; nec ullam Plinius causam agit, quin domus perturbetur ; anxia uxor ; dispositi liberti qui dominæ nuntient, quem assensum, quos clamores excitaverit dominus, quem eventum judicii tulerit (IV. 19).

Quid inde ? non stylus tantùm optimus dicendi magister, sed hominum quoque commercium et rerum usus ; ipsa nocet scribenti nimia circa libellos anxietas. Porrò apud Plinium, majorem sibi partem litteræ usurpaverunt, minorem cæteris rebus reliquerunt, et ille studiorum amor ex honestissimo fonte ortus, dum multùm Plinio ad humanitatem profuit, eumdem tamen ad vanitatem et venditationem ingenii inclinavit.

V.

QUÆ FUERINT PLINII DE PHILOSOPHIA, DE DIIS, DE REBUS PUBLICIS OPINIONES.

Notanda in primis circa philosophiam negligentia et securitas. Non quidem Epicureus: unde enim? nulla vitia, quibus philosophiam prætendat; neque is est qui Aristippi præcepta laudet, quò excusatiùs labatur, et sapienter peccet. Neque rursus stoicus ipse, quamvis pluribus stoicis conjunctissimus; ea fuit autem vivendi ratio ut stoicis, utpote castissimus,

placeret, placeret tamen et cæteris, omni amoto stoicorum rigore. Causas requirere operæ pretium est.

Ante omnia amœnitas illa et rei cujuslibet fuga, quæ aliquid habeat offensionis; mollis, ut ipse ait, in amicitiâ, omni, vel infimorum, calamitati liberè vult illacrymare, nec quidquam ex humanitate delibari. Quosdam ea potissimùm movent quæ in hac vitâ tristia sordidave reperiuntur: his quidem (quisnam in illis temporibus invideat?) subest vulgaris stultitiæ fastidium; placet cum fortunâ congredi, et in arcem effugere, unde despiciantur humanæ sordes. Longè alius profectò Plinio animus: innata ingenio facilitas quædam; ea quæ in vitâ jucunda esse possunt, præsertim vidit, libentiùs arripuit; honesto antem dolori et indulsit, et in illâ se jactavit indulgentiâ; humanas denique miserias aut lugere, aut consolari maluit, quam negare: fortunæ porrò cur bellum indixisset, quam facilliman expertus erat? Invidiosum præterea nomen philosophiæ, si Senecæ philosopho creditur. Aiebat Agricola se in primâ juventâ studium philosophiæ acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum et flagrantem animum coercuisset: mox, inquit Tacitus, mitigavit ratio et ætas (Agric. 4). Nunquam, ut videtur, apud Plinium, studium illud mitigandum

fuit: at contra, quum in decursum honorum adolescentulus sese accingeret, in eloquentiam potiùs quam in sapientiam divertit; quumque veterem disciplinam vitâ moribusque referre meditaretur, nullam profectò doctrinæ rationem libenter attigit quæ eum a cæteris segregaret, multis etiam esset in offensione, futuro denique consuli, futuro etiam auguri, suspectum faceret publicorum Deorum numen.

Altera verò causa: scilicet nimius ille circa litteras labor totam sibi vindicavit animi intentionem; quibus quidem non ita avidè, ne dicam unicè, incubuisset, si largior animus, mens excelsior; hominis verò ingenio hoc curriculum sufficiebat, quamvis angustius; rursus continua eloquentiæ ambitio, tùm circonscripta in litteris, omnibus omissis, contentio, consuetudo denique quasi in naturam versa, vanum aliquid et angustum ingenio dederunt; ea nempe consuetudinis natura, ut eò carior sit quò vetustior; ita factum est ut qui adolescentulus philosophos aliquantisper audierat, idem, procedente ætate, et crescente gloriâ, pleniùs semper se litteris addixerit. Itaque illum Ciceronem, cujus ad exemplar sese ambitiosè componebat, non ex rhetorum officinis sed ex philosophorum scholis oratorem exstitisse, oblivisci visus est, nec illam Tullaniæ gloriæ partem attigit; at levius inge-

nium, omnem in jucunditatem compositum, otia versiculis quam philosophiæ reddere maluit.

Noster quidem aliquid ex illâ Quintiliani magistri in philosophos severitate retinuisse videtur : qui quidem postquam veteres sapientiæ professores laudavit, « nostris, inquit, temporibus, sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis ut haberentur philosophi laborabant ; sed vultum, et tristitiam, et dissentientem a cæteris habitum, pessimis moribus prætendebant. » (Inst. orat. in Procœmio.) Hæc ille ; Plinius verò, dum Artemidorum laudat : « Ex omnibus qui se philosophos vocant, vix unum aut alterum reperias tantâ sinceritate, tantâ veritate. » (III. 11.) Idem in extollendo Aristone : « Non facile quemquam ex istis qui sapientiæ studium ex habitu corporis præferunt, huic viro comparabis (I. 22). » Eadem severitas, mitior tantùm, ut ab homine mitissimo profecta. Euphratem philosophum extollit Plinius, se verò sapientem negat ; ejus etiam virtutes ne satis quidem intelligit : « Ut enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex judicare, ita nisi sapiens perspicere potest sapientem. » (I. 10.) Dum igitur Euphratem et Artemidorum philosophos commendat, non ea attingit quæ ad ipsam philosophiæ sectam pertinent ; communes verò virtutes, mores optimos, amœnitatem præ-

sertim laudat : « Nullus Euphrati horror in vultu, nulla tristitia, — vitæ sanctitas summa, comitas par ; insectatur vitia, non homines ; nec castigat, sed emendat » (I. 10). Ea scilicet libentiùs, ut fit, apud cæteros laudat Plinius, quæ apud se laudari velit.

Quod ad deos pertinet, vulgari videtur opinioni acquievisse, et unus fuisse ex multis. Quid enim ? num vetus ille, ut sibi videbatur, Romanus, Romanis diis diffidere? num augur ille hunc, quo superbit, auguratum, « priscum, religiosum, sacrum » impietate deprimere velit ? Imo contra : si qua gravior incidat orandi occasio , majores imitatur qui « benè ac sapienter instituerunt initium dicendi a precationibus agere : quòd sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, nil ritè, nil providenter auspicentur. » Te ergo, Jupiter optime Maxime, precatur, vosque cæteri dii quorum numine rectores terris constituuntur. (Panegyr. I.) An verò fucosa ista religio et in publicam ostentationem sumpta? Libentiùs crediderim eum fuisse Plinium qui antiquis opinionibus indulgere mallet quam diffidere. Religionum etiam observantior apparet : non modo Tiferni templum propriâ pecuniâ exstruxit, sed illius dedicationem, quum sit paratum, differre longiùs , irreligiosum videretur (IV. 1). Bithyniæ legatus, in transferendis tum Magnæ matris templo, tum quibusdam mortuorum reliquiis, vehementer ad-

dubitat, nec quidquam priùs decernere audet, quàm Trajanum consuluerit : notanda etiam Trajani responsa, in quibus, quum cuncta legati arbitrio remittit, multò minùs in rebus divinis timidus esse, et hanc ipsam Plinii sollicitudinem ferè admirari videtur (X, 58,73).

Quod ad animorum immortalitatem attinet, eadem securitas, eadem negligentîa. Veterum quidem plerosque multò minore quam nos anxietate circa illam rem elaborasse confitendum est. Plinium verò nostrum, quæ mortuo reservarentur satis parùm curavisse constat : an quia vita felicior, nullam unquam acriùs anquirendi necessitatem imposuerit? an quia illa amœnitas a tristioribus refugeret? an quia tanta esset in litteris sollicitudo, tantus in studiis labor, ut vitam implerent ? Certè illa tantùm immortalitas cordi, quam dant litteræ ; unus timor, si non immortalia sint opera. Satis placere videtur humana conditio si post decursum honorum, studiosamque senectutem, concedatur apud posteros memoria, et honestatis et eloquentiæ comprobatio.

Scilicet eas opiniones quas a nutrice et educatoribus hauserat noster usque servavit, quas quidem ad excutiendas, et otium simul et voluntas defuere : noctu vagantur defunctorum umbræ, sepulturam a vivis requi-

rentes, miseræ quidem (ut vetus ferebat opinio), non quia peccatorum pœnas persolvant, sed quia supremis honoribus caruerint. Ipsa Africa Curtio Rufo apparet, futurorum prænuntia, honoresque et mortem, certissimè, ut eventus probat, ominatur. In ipsâ Plinii domo prodigia ostenduntur: quo tempore imminebat a Domitiano periculum, visus nescio quis pædagogium noctu intrare, et amputare ex ipso dormientium vertice capillos: capillos jacentes repertos, depulsi, quod imminebat, periculi signum fuisse Plinius credit. Unde etiam (obiter dictum sit) colligere possis Plinii his in temporibus constantiam non ab omni animi perturbatione liberam fuisse. Ista quidem omnia quamvis amico subjiciat, interrogetque num aliquid sint phantasmata, in credulitatem manifestò inclinat (VII. 27). Cum Suetonio, quem somnium quoddam exterruit, seriò et graviter disputat: « refert enim eventura soleat, an contraria somniare. (I. 8). » Illis scilicet noster fidem adhibet quæ Virgilius, vulgarem opinionem secutus, cecinerat.

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris ;
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.
(Æneid. VI. 893).

De Hipponensi delphino miracula narrat, materiamque veram appellat, quamvis simillinam fictæ (IX. 33). Quis enim dubitet, quum tam benigna offeratur poetæ materies? Magnam etiam dicit auctoris fidem, cui benè vel historiam scripturus aliquis crediderit.

Eadem in rebus publicis ad credulitatem fiduciamque facilitas : eversi mores, militaris disciplinæ ruina, principes militum libidine creati, et ex castrensi tumultu ad orbis regimen progredientes, precaria denique securitas, neque tranquillitatem sollicitant, neque indignationem commovent. Domitianum quidem exsecratur ; quis autem, Trajano principe, alterum Domitianum ominetur? Præsenti ergo fruitur felicitate, quæ otium et dignitatem studiosis commodat ; futura neque prospicit, neque reformidat ; dumque summum rerum florem quasi decerpit, tristissima quæque et indignanda, tanquam graviùs quoddam onus, omittit. Libertas sufficit, optimi principis benignitate dispensata ; sufficit quod, salubri quodam temperamento, ad cives velut rivi ex illo benignissimo fonte decurrant (III, 20). Jubes esse liberos, inquit, erimus (Panegyr. 66). Si qua de rebus publicis gravior cura aut indignatio, promptum illud : ἀλλὰ ταῦτα τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ἄλλῳ μελήσει (IV. 25). Vetera quidem comprobat Plinius, seque ad antiquam disciplinam componit ; præsentia verò nullus

qui patientiùs ferat, libentiùs amplectatur, effusiùs laudet. Titinius Capito qui apud Domitianum Trajanumque inter familiarissimos vixit, imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum domi habebat (IV. 28). Quod salsius esse possit de publicis moribus documentum ? Honesta porro apud principes veterum comprobatio, modò ne ad desiderium et præsentium impatientiam procedat : placent illi, qui, dum antiquos mores extollunt et imitantur, redditam credunt a Cæsare antiquitatem. Quis autem in hunc errorem facilior quàm Plinius ? Quisve effusiùs meritas Trajano grates reddidit ? Quis in gerendis magistratibus docilior fuit aut timidior ? Quis meliùs, salvâ quidem dignitate, meruit ut Cæsari et Cæsaris amicis esset amicissimus ?

Ne verò propositum nostrum omittamus, « qualem scilicet apud ætatis suæ studiosos personam Plinius egerit », meliùs nunc, ut videtur, intelligere possumus, quomodo noster ita compositus fuerit ut plurimis placeret. Communes illæ et quasi mediæ opiniones effecerunt ut diversissimorum hominum amicitias merere et conciliare posset : nihil in indole nisi amœnum, nihil in ingenio abruptum quod adeuntem offenderet ; obvius homo et quasi paratus omnibus. Quidni eum comprobent sapientes qui sanctissimè vivat, philosophos laudet, unum etiam eorum periculo suo tuitus fuerit ?

Quibus contra sordent philosophantium superbia et supercilium, eum amplectuntur hominem jucundissimum, et quamvis inter omnes optimum, omnibus tamen similem; cujus quidem et frons et opiniones populo conveniant, neque se a turbâ segregare videantur. Quicumque tristiores humanis Romanisque rebus diffidunt, quicumque constantiâ quondam iram Domitiani meriti sunt, necdum, Trajano regnante, se totos quasi remisere, huic omnes juveni indulgent, olim periculorum socio, omni quidem tempore, fidissimo in amicitiâ, aliquando etiam constantissimo. Idem omnibus acceptissimus qui in arctissimâ Cæsaris familiaritate vivunt; quid Cæsar? benignissimè illi honesto, illi studioso favet, qui docilitatem honestate, ingenuitate laudationes commendat. Ad hoc, antiqui mores, et qui seniorum optimis placeant; amœnitas quoque et honesta quædam ludendi lascivia, quæ juniores invitat. Diversissimi ergo in hanc domum convenire, ubi omnes inveniunt quod arrideat. Quod si gravioribus amicis in quibusdam levior, in aliis nimius videatur, si eum Euphrates sapientiæ curiosiorem velit, si Tacitus minùs de rebus publicis securum, si Mauricus paulò in laudando Cæsare parciorem, si multi minùs in sui venditatione immodicum, quis tamen acriùs optimo homini invidere, et in illo comprobantium concentu, severior haberi velit?

VI.

DE NIMIA APUD PLINIUM LAUDUM APPETENTIA.

In hac autem tantâ apud Plinium laudis appetentiâ, immorari longiùs decet, quæ, propria tanquam et singularis quædam nota, in illâ quam fingimus personâ eminet. De quâ quidem re non rectè, ut videtur, judicare possis, nisi multa in judicando temperamenta adhibeas : si quis enim criminosè agere velit, nedum in Plinium ipsum Plinii in intelligendo huma-

nitatem æmuletur, rem haud dubiè ad invidiam, imo ad ridiculum trahere possit : adeo noster in propriâ laudatione continuus ; adeo ingeniosus in excogitando quânam viâ ad se redeat, quove artificio, dum cæteros laudat, ad ipsius laudes temerè, et inscius, et quasi coactus adduci videatur ; adeo nihil tam parvum quod non venditationis occasionem recipiat : subit satietas, ne fastidium dicam ; subit indignatiuncula, nisi inter vitium illud cæterasque viri virtutes tanquam rationem conferas, et illo interdum adversum severitatem tuam patrocinio Plinium tuearis : hunc scilicet hominum laudes aucupatum esse, sed elaboravissè ut mereret. Ideo non inconsultò hanc partem priùs attingere noluimus quàm multa jam in Plinio optima laudandaque licuisset ostendere. Honesta per se æmulatio et gloriæ cupiditas ; quatenus verò et quomodo noster ex optimo principio profectus, in vitium usque processerit, nunc videamus, ita autem ut reprehensio non indulgentiâ quâdam careat.

Illi quidem inter primos reponendi qui nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referunt, qui rectè facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petunt (I. 22). His mehercule verbis Plinium non laudare possumus, quibus ipse Aristonem amicum

laudat, cujus animum, ut videtur, intellexit magis quam imitatus est. Quidam in secundis consistunt, quibus deest illa excelsitas animi sibi sufficientis, quorum virtus minus robusta (nescio an in hominum commercio jucundior) quibusdam quasi laudum adminiculis eget; scilicet non boni tantùm esse, sed haberi volunt, et illorum honestas hominum opinioni lenocinatur. Ea Plinii indoles, ea virtus: habemus alioquin confitentem reum: Rusticus Arulenus illius adolescentiam foverat: « Laudibus, inquit Plinius, ut laudandus viderer effecit. (I. 14). » Idem, mortuo Coreillio Rufo, qui vitæ testis, rector, magister fuerat: « Vereor, inquit, ne negligentiùs vivam. (I. 12). » Hæc autem aiebat noster tricesinum sextum ætatis annum agens. Ita adolescens ad laudem simul et ad virtutem connitebatur, nec satis, ut videtur, firmus erat in utràque re discernendâ; necnon vir factus mores suos confitebatur ex alienâ approbatione pendere. Rem tamen si quis severiùs reprehendere velit, meminerit multùm his verbis modestiæ esse, multùm etiam humanitatis, et piam gratamque in defunctum senem memoriam.

Nullus, credo, educandos discipulos suscepit, quin in quasdam adolescentulorum indoles inciderit, apud quos plurimùm æmulatio valet : postquam modestiâ et studio meruerunt ut laudarentur, laudes

rursus faciunt ut in rectis perseverent, et ii sint quales videri volunt. Inter facilem parentum magistrorumque comprobationem crescentes, huic scholasticæ gloriæ assuescunt, et sibi similes permanent, ne, diu inter optimos repositi, et sibi et cæteris degenerare videantur. Quâ quidem in naturâ aliquid profectò jactantiæ, plurimùm tamen optimæ indoli referendum. Subest tamen periculum, ne quando è scholâ egressos sequatur ista ad laudationem mollities, ne scilicet viri facti eamque comprobationis consuetudinem et appetentiam retinentes, immodicè ex cæterorum judicio pendeant, et laudes intemperantiùs venentur; quæ autem in adolescentulo docilitas suavitasque, ea in viro vanitas jure appelletur. Haud aliam Plinii adolescentis imaginem mihi effinxerim : optimus puer, idemque studiosissimus (quippe qui quartum decimum annum agens tragœdiam græcam scriberet (VII. 4), inter meritas suorum laudes adolevit; ab illis etiam suspiciebatur qui in maternâ domo familiarissimi erant. Hæc enim de se ipso Plinius, dum Hispullæ scribit : « Quum matrem meam parentis loco venerarere, me quoque a pueritiâ *statim formare*, *laudare*, talemque qualis nunc uxori meæ videor, ominari solebas (IV. 19.). » Quum adolescentulus in Syriâ militaret, Euphratem philosophum admiratus, *ab eo amari elaboravit;* « Utinam, inquit ipse, quam spem tum ille de me

concepit, impleverim (I. 10.). » Idem de Corellio : « Adolescentulus eram, et jam mihi ab illo honor, atque etiam audebo dicere, reverentia, ut æquali habebatur (IV. 17.). » Enumerare longiùs, quàm multorum laudibus Plinius provectus fuerit; longiùs etiam referre quàm multa et fecerit laudanda, et ipse laudaverit : hæc verò notanda : illa adolescentuli gloriola maximi in futuram viri gloriam jactantiamque momenti fuit; laudes quidem jam puer, dein in omni vitæ tempore meruit (res laudanda); his autem ita delectatus est ut in consuetudinem venirent, mox etiam in necessitatem: adde quòd summa hominis amœnitas cæteros ad comprobationem faciliores redderet; ita factum est ut in hoc viro, præterita jam adolescentiâ, quasi adolescentulus quidam lateret; permaneret eadem ad alienum judicium mollities, denique circumspiceret semper qui amarent, qui laudarent.

Ipsum autem litterarum studium Plinium in nimiam sui jactationem impellere potuisset; illis enim temporibus, quid aliud est studere, nisi scribere, imo ea scribere, quæ placeant? Hoc vero artis cujuslibet proprium quæ plausus hominum provocat, ut inquietam artifici injiciat circa ingenium æmulationem, summamque de operum fortunâ anxietatem, immodicam denique laudis appetentiam. Finge tibi illam studioso-

rum turbam, non in expoliendis magis operibus quàm in laudatoribus conquirendis elaborantium; finge auditoria et recitationes : qui librum populo scribit, opusque suum ignotus ignotis tradit judicandum, hominum approbationem exspectat, non arcessit; lentior illi gloria et quasi placidior; ex illâ autem auditorii gloriolâ, quæ auribus, quæ oculis excipitur, ex illâ quasi vivâ laude, ex illo admirantium concentu quo se recitator circumdari et videt et sentit, quale, Dii boni, et quàm acre ad vanitatem incitamentum ! « Imaginor, inquit Plinius, dum amicum quemdam hortatur ut recitet, qui plausus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat, sit modò silentium acre et intentum et cupidum ulteriora audiendi (II. 10.). » Ista autem omnia ut Plinius gustu exploravit ! Quantùm illi sapiunt ! Dignoscit eruditum quorumdam palatum

Lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet, pontesque inter jactatus an amnis
Ostia sub Tusci; (Hor. Sat. II. 2, 30)

dignoscit noster utrum delicatiùs sapiat, silentiumne an plausus.

Ergo recitaturus timet, æstuat; si unquam legendi versiculi, res magna et quæ consultationis egeat ; audit enim se malè legere ; num liberto recitandum libellum

tradet? Illo autem legente, quid ipse? « Sedeam defixus, et mutus, et similis otioso, an ut quidam, quæ pronuntiabit, murmure, oculis, manu prosequar? » (IX. 34). Crescente famâ, crescit ambitio; vult proxima quæque absolutissima videri (VIII. 9). « Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præsumptione perfruitur, certusque posteritatis, cum futurâ gloriâ vivit (IX. 3).» Idem sæpius votum: «Diebus ac noctibus cogito *si qua me quoque possim Tollere humo* (id enim voto meo sufficit); illud supra votum « *victorque virum volitare per ora. Quanquam ô!* (V. 8).» Laudandus quidem et legitimus immortalitatis amor: hanc verò gloriam ita minutatim prægustat, ita minima quæque vanitas arripit, ut vix temperes quin rideas. Scilicet quosdam Martialis versus memoriâ tenet, eos nempe in quibus ipse laudatur (III. 20). Sentii Augurini poemata laudat; quosdam etiam versus, ut amici stomachum moveat, refert; fortunâ verò nescio quâ evenit ut eos maximè retinuerit in quibus poeta se Plinii patrocinio tuetur,

> Unus Plinius est mihi priores;
> Mavult versiculos, foro relicto.....
> Ille o Plinius ille, quot Catones (IV. 27).

Nuper etiam, quum Plinius scholam quamdam intravit, propter intrantis reverentiam conticuerunt adolescentes:

lætatur Plinius : quæ autem lætandi causa? Scilicet « quia res ad illorum magis laudem quam ad meam pertineat (II. 18). » Ea autem sæpiùs ingenuitas in jactantiâ, ut indulgentior fias : nihil in homine fictum, ne vanitas quidem. Ipse in extollendam suam gloriam aut Æschinis (IV. 5), aut Demosthenis (IX. 23), aut Ciceronis (passim), memoriam et exemplum refert. « Libelli quos emisimus dicuntur in manibus esse, quamvis jàm gratiam novitatis exuerint, nisi tamen auribus nostris bibliopolæ blandiantur ; sed sanè blandiantur, dum per hoc mendacium nobis studia nostra commendent (I. 2). » Peregrinatur fama : exsultare noster, rem circumferre : « Bibliopolas Lugduni esse non putabam ; ac tantò libentiùs ex litteris tuis cognosco venditari libellos meos (IX. 11). » O rem fruendam, et quæ unius epitolæ materiæ sufficiat ! tantus fuit, acturo apud centumviros Plinio, concursus, ut quidam adolescens, (et quidem ornatus adolescens) scissis tunicis, ut in frequentiâ fieri solet, solâ velatus togâ, perstiterit, et quidem horas septem. « Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. — Studeamus ergo ! — Sunt qui dauiant, sunt qui legant : nos modò dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus (IV. 16). »

VII.

QUEM LOCUM INTER STUDIOSOS PLINIUS TENUERIT.

Eorum quæ antea dicta sunt si meminisse volueris, nil mirum profectò videbitur quòd Plinius principem quemdam locum inter tam multos ætatis suæ studiosos et voluerit obtinere, et potuerit. Nunquam effusiùs quàm, Trajano regnante, litterarum studium : tantus eorum numerus qui aliquid in litteris faciunt, ut deficiant legentes scribentibus; paucissimi

qui ad bibliopolarum tabernas perveniant; plurimi recitant tantùm, et amicos, scilicet auditores, venantur. Noster profectò omnibus acceptissimus, qui studiosos alios aliis conciliet, qui exhortetur, foveat, cæteris commendet, qui consilia sæpe, aures etiam, semper benignitatem commodet. Haud alium fuisse Titinium Capitonem videmus, qui, ut Plinius ait, colit studia, studiosos amat, provehit, multorumque qui aliqua componunt portus, sinus, præmium. « Domum suam recitantibus præbet; auditoria non apud se tantùm mirâ benignitate frequentat (VIII. 12). » Hunc verò Capitonem magis officiosum fuisse quàm eloquentem, ex eo credere possumus, quod parciùs eum Plinius laudat, in laudandis tamen amicis profusissimus. Plinium verò nostrum nonne quasi consultò natura formavisse videbatur, ut hunc ei principatum omnes sponte deferrent? Quis enim litterarum studiosior? « Omnes, inquit, qui aliquid in studiis faciunt venerari etiam mirarique soleo (VI. 7). » Ad hæc, magna viri dignitas: senator, prætorius, mox consularis, optimorum amicitiis Cæsarisque favore innixus; magna in laudando auctoritas, maximum in commendando momentum; summa alioquin amœnitas; nullus in amicitiam facilior; nihil in homine quod non arrideat; jucunditas moribus ita commendata, ut illius amicitia

sit honestamento: adde illam vanitatem laudationis avidissimam. Quid igitur illi facilius, quid jucundius, quàm plurimos studiosorum ad se arcessere, allicere? Quicumque igitur eruditi, pari ambitione, impari ingenio, scribunt, in Plinii amicitiam tanquam in commune quoddam hospitium conveniunt, ubi alii aliis ostenduntur, ubi paratum inveniunt amorem, et cohortationem, et auditores, et commendationem semper operibus, aliquando etiam dignitati utiles. Gaudet noster, et consilia, et laudes, et se totum omnibus largitur, et inter clientes diligentem agit patronum.

Quis fuerit ille Plinii principatus: quove animo quibusve artibus exerceretur; quo denique modo factum sit ut retinendæ illius auctoritatis amor aliquatenus studia Plinii et indolem immutaverit, nunc videamus.

Hoc verò ante omnia, utpote in oratoris nostri intelligentiam gravissimum, clariùs illustrari et penitus perspici velim: scilicet parem apud illum et circa laudes merendas et circa merendas amicitias ambitionem: optatissimum illi votum ut ab iisdem et laudaretur et diligeretur, et in utrâque re pari studio tum adolescentulus, tum vir, elaboravit. Unde etiam illa in judicando homine difficultas, quum

honestissima amœnitas reprehendendæ vanitati ita misceatur, ut non temerè dignoscas. Num verò longiùs a proposito errare videbimur, si quò meliùs discernatur duplex illa et quasi ambigua Plinii indoles, Xenophonteam illam Cyri personam memoremus, qualis in Κύρου παιδείᾳ apparet? Quis enim ille Cyrus cujus talem in vitâ fortunam Xenophon commentus est, qualem sibi ipse, si dii concessissent, efficere voluisset? In optimos reverentissimus, promptissimus ad indulgentiam, servatâ a pueris ad senectutem amœnitate, quàm plurimas meret amicitias, quæ quidem plurimùm ad incrementum prosunt; amicis enim ut fruitur, ita utitur; augetur imperium omnibus acceptissimum; hanc autem in hominum commercio mansuetudinem, utrùm solertiæ referas an humanitati? Ita, dum honestatem simul atque utilitatem pari felicitate consectatur, ad summam denique auctoritatem maximamque gloriam, omnibus dilectus, nullo invidente, senior evadit. In tantâ rerum temporumque diversitate, multa cum Plinio similia: hic quoque principatum et gloriam affectat, et humanissimam auctoritatem quæ volentibus imponatur; hic quoque amicitias meret consectaturque tum animo jucundissimas, tum ambitioni utiles. In multos officiosus, indulgentissimus in omnes; nec minùs laudat quàm laudatur; quæ

res illi non consuetudo tantùm, sed tanquam norma quædam : « Sive plùs, sive minùs, sive idem præstas, lauda vel inferiorem, vel superiorem, vel parem : superiorem, quia nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari; inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quàm maximum videri, quem præcedis, vel exæquas (VI. 17). » Utrum verò ambitio an humanitas in tantam laudandi facilitatem eum impulerit, scire difficile : nesciebat, ut videtur, ipse Plinius.

Nec laudes tantùm, sed sestertia profudit : ea omittam quæ vir optimus in suos, in amicos, in colonos liberalissimè egerit ; ea tantùm attingimus quæ ad studia pertinent. In patriâ bibliothecam dicat, alimenta etiam ingenuorum constituit (I. 8). Nec Comenses modò hortatur ut præceptores publicè conducant ; tertiam verò partem ejus quod conferre placebit, offert, totum polliciturus nisi timeret ne munus ambitione corrumperetur (IV. 13). Idem Quintilianum in locandâ filiâ adjuvat ; idem Martialem ex urbe secedentem viatico instruit (III, 21).

Maximus amicorum numerus qui ætate aut dignitate plurimùm valerent ; inde magna officioso homini facilitas juniores aut humiliores amicos commendandi. Num Virginium Rufum (de quo jam antea dictum

est) referam ? Num Vestricium Spurinnam cui, principe auctore, triumphalis statua decreta est (II, 10) ? Num Antonium, olim proconsulem Asiæ, auctoritate, ætate, civitatis principem (IV, 3) ? Num Avidium Quietum, Thraseæ olim familiarem ? Num totam Helvidii domum, cujus ultionem fortissimè susceperat ? Num Corellium, qui Plinium et dilexit, et adolescentem etiam reverebatur (IV, 17) ? « Unà diligimus, inquit, dum de Cornuto loquitur, unà dileximus omnes ferè quos ætas nostra in utroque sexu æmulandos tulit (V. 15). » Ea erat ipsius dignitas ut cum multis legatis, præfectisque et magistratibus familiariter conjungeretur ; nemo ferè in civitate apud quem non magni æstimaretur Plinius, et quàdam auctoritate polleret.

Qui multos habet patronos, non mirum si multos ipse clientes habeat. Multi in honestam illam apertamque domum convenire, salutare, colere : sua cuique sportula. Spurinna et Antonius senes, ab illo studiosorum principe, ipsi in studiis tirunculi, laudari gaudent. Quis autem patrônus diligentiorem in adjuvandis clientibus operam adhibeat ? Petit Junius Mauricus ut fratris filiæ maritum prospiciat : Minucium Acilianum noster commendat qui « formari a me, inquit, et institui cupit, ut ego a vobis solebam (I. 14). » Fuscum Salinatorem

non modò ut eloquentissimum laudat, qui illum ut rectorem, ut magistrum intuetur, illum æmulari, illius instare vestigiis videtur; sed paulò post apud Servianum filiam Salinatori destinantem, juvenem, quantâ alacritate ! extollit, studiosum, litteratum, disertum, qui officiis, reverentiâ meruit ut effusè amaretur (VI. 26). Tranquillus contubernalis vult emere agellum; præstò noster, et rogat, ut, curante Hispano, ita emat ut emisse delectet (I. 24). Idem, si somnio exterritus ne quid adversi in actione patiatur, rogat dilationem, rem Plinius, quanquam difficilem, experietur (I. 18). Rogat ut Calvisius Nepos industrius, disertus, semestri tribunatu fiat splendidior (IV. 4). Prisco amplissimum exercitum regenti, Voconium Romanum tradit, qui epistolas scribit ut Musas ipsas latinè loqui credas (II. 18). Arrianum Maturium, cujus judicio in studiis utitur, et a quo amatur ardentissimè, Maximo commendat, ut dignitati ejus adstruatur aliquid (III. 2). Fundano Consuli quæstorem Asinium Bassum amandum, et etiam in filii locum assumendum designat, cui multùm probitatis, eruditionis, ingenii, studii (IV. 15). Julius Naso honores petit : veteris quidem amici filius; imò Plinium inter patris amicos ad amorem imitationemque delegit : dicenti sollicitus adsistit, adsidet recitanti ; primus etiam et quàm

maximè nascentibus opusculis interest. Ergo pendet Plinius, et exercetur spe, et afficitur metu ; ipse ambit, ipse periclitatur; et a Fundano exigit ut veniat, et suffragium jungat, et ostentet candidatum, et circumeat (VI. 6).

Ne mortuis quidem desunt optimi hominis laudes et amicitia : omnia illi studia, omnes curas, omnia avocamenta eximit, excutit, eripit dolor quem ex morte Junii Aviti gravissimum capit. Ille quidem Avitus Plinium ita diligebat, ita verebatur, ut illo formatore morum, illo quasi magistro uteretur (IX. 23). Quibus etiam ad mortuorum amicorum laudationem minor auctoritas aut eloquentia, illos Plinio cælebrandos commendant. Ita Quinctianum Pompeium, cui magnum litterarum studium, multum etiam judicii, Colone quodam rogante, laudat Plinius: « Sic amasti viventem ut hæc audire potiùs quàm de illo sileri velis, a me præsertim cujus prædicatione putas vitam ejus exornari, memoriam prorogari, ipsam illam, quâ est raptus, ætatem posse restitui. (IX. 9). »

Quid de viventibus? Qui prima in studiis stipendia faciunt, cæteris studiosis monstrantur, laudantur; per illum facilis ad famam aditus, et inter doctos cooptatio. Quis ergo non hominem colat, vereatur, amet, qui et amari et coli tantopere gaudeat, et facillimè amet, nec

amare possit, quin laudet ? Laudatur Pompeius Saturninus qui orationes, historias, versus, epistolas etiam eloquentissimè scribit, quanto autem ardore ! « An si inter eos quos numquam videmus floruisset, non solùm libros ejus, verùm etiam imagines conquireremus, ejusdem nunc honos præsentis et gratia, quasi satietate languescet (I. 16) ? » Laudatur Maximus; congeruntur etiam ἐπίθετα : « Est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, et cum magnâ tuâ laude diffusum (IV. 20). » Laudatur Sentius Augurinus, cujus in versiculis multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuster, multa tenerè, multa dulciter, multa cum bile « nisi quòd me fallit amor ejus, aut quòd me ipsum laudibus evexit (IV. 27). » Laudatur Calpurnius Piso qui eruditam sanè luculentamque κατασκευῶν materiam recitavit. Exsultat Plinius : Pergat, quà cœperit, lumenque quod sibi majores sui prætulerint, posteris ipse præferat; in matrem optimam, in piissimum fratrem redundat illa elegorum gloria; Plinius etiam Pisonum imagines circumspicit : « qui nunc mihi hos adolescentes tacitè laudare, exhortari videntur (IV. 17). » Laudatur Fuscus Salinator, laudatur Numidius Quadratus, par egregium, quippe qui in eloquentiâ Plinium imitentur. « O diem lætum, notandumque mihi candi-

dissimo calculo ! quid enim aut publicè lætius quàm clarissimos juvenes nomen et famam ex studiis petere, aut mihi optatius quàm ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum (VI. 11) ? » Laudatur Virginius Romanus qui comœdias scripsit, quas inter Plautinas Terentianasque numeres : « circa me tantùm benignitate nimiâ modum excessit. (IV. 21). »

Multa quidem omittenda, ne laboretur abundantiâ : hoc verò perspicere licet, qualis et quàm multus in laudandis amicis Plinius fuerit, et laudes sæpius ab illo non datas fuisse, sed laudantibus diligentibusque quasi redditas. Noli tamen vanitati et ambitioni rem totam referre : quo enim tempore multæ undique se offerunt voluptates, optimi illi, ut diximus, qui studia in rem honestam conferunt : nullus ferè ut disertus, qui non et probus simul laudetur ; scilicet Plinius noster honestatem a studiis non separat, neque quum de cœteris ageretur, separavit. Honestissimus ergo fuisse ille studiosorum globus videtur, nisi in quibusdam noster erraverit, vir in errorem facilior, et omnes amicos tales crediderit, qualis ipse et esse et haberi vellet.

Operosissimus quidem ille principatus : labor autem Plinio jucundissimus ; continuò amicos ad studia excitat, novosque cives in illam quasi civitatem arces-

sit, ubi regnat. Caninium, municipem ditissimum, et sæpius in intentione rei familiaris versatum, monet, obsecrat, ut humiles sordidasque curas aliis mandet : « Effinge aliquid et excute quod sit perpetuò tuum (I. 3, anno 97). Deinde, nuntiatâ Silii Italici morte, arreptâque inde occasione, hortatur ut vitam mortalem et caducam studiis certè proferat : neque perierant, ut videtur, nostri consilia : « Scio te, inquit, stimulis non egere; me tamen caritas tui evocat ut currentem quoque instigem (III. 7 anno 101). » Caninius tandem Dacicum bellum versibus græcis scribere parat : lætatur Plinius et, voti compos, rem studiosis publicat, amico exhortationes, consilia mittit (VIII. 4, anno 109). Eidem Delphinum Hipponensem indicat, dignam quidem materiam, isto lætissimo, altissimo planeque poetico ingenio (IX. 33). — Indignatur etiam si quis amicorum recitare dubitet : « Hominem te patientem, vel potius durum, ac pene crudelem, qui tam insignes libros tamdiu teneas. » Et quò acriùs instiget, admirationem hominum et immortalitatem spondet (II. 10). Morantem Tranquillum objurgat « patere audiri, describi, legi, venire volumina Tanquilli mei (V. 11). » Interrogant quidam quomodo tempus disponendum sit et stylus exerceatur : longas noster rescribit epistolas, et tanquam jurisconsulti de jure, ita de studiis respon-

det ; ut Fusco Salinatori (VII. 9). Eumdem docet quomodo vel ruri, intervalla studiorum otio ipse dispungat, et corpus, cujus fulturis animus sustinetur, salvis, litteris, exerceat (IX. 36). Multos recipit amicorum libellos quos annotet corrigatque ; multos ipse mittit corrigendos : « O pulchras, inquit, o jucundas vices ! » Credo equidem : larga laudandi materies, et opportuna occasio quâ benignitatem ostendat, et laudum segetem referat, benignitatis simul et eloquentiæ mercedem.

Quid de auditoriis? Quàm officiosa per urbem discursatio, illis præsertim annis ubi magnus poetarum proventus ! Non enim quisquam est ferè qui studia, ut non simul et Plinium amet ; ergo nemini prope deest, neque parcit operæ : qui diem in prædiis inter colonos perdidisse dolet, idem in auditorio aliquid sibi videtur lucrifacere ; illum contra juvat, quòd vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant (I. 13). Ergo exspectatus adest, ut qui auctoritatem in laudando et paratam admirationem afferat ; primas inter auditores agit, ut apud Calpurnium Pisonem videre est : « multùm et diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi. » Nec quemquam in doctâ domo omittit : « gratulatus sum optimæ matri, gratulatus et fratri (V. 17). » Quid mirum, si in Plinii auditorium concurrant quicumque

gratiam aut referre volunt, aut merere? si, Panegyricum recitaturo, multi, fœdissimis tempestatibus, per biduum convenerint, exegerint etiam ut adjiceret tertium diem, quanquam Romæ aut nunquam aut rarò vacat, et ad cæteros audiendos pigerrimè coitur? (III. 18). Rhetores etiam fovet: illi enim plurimùm apud adolescentes valent; nulla autem sordet Plinio nostro gloria; gaudet quòd apud docentes in ipsius admirationem crescant pueri; magistros colit, commendat, ut illum Junium Genitorem cujus eloquentiam moresque Corelliæ extollit, quo tempore rhetorem latinum filio circumspicit (III. 3). Illi etiam mortuum discipulum lugenti in partem doloris accedit (VII. 30). Igitur magistris discipulisque probatissimus, timet, si quâ ex parte ista in discrimen gratia adducatur; dum enim scholas circumit rhetorem Maurici filiis quæsiturus, et istam quasi demetiens gloriolam, subit timor, quum in eligendo præceptore suscipiendæ sint offensæ; ea tamen in amicum fides, ut consularis noster illas æquo animo subire paratus sit. (II. 18).

Idem verò Plinio evenit quòd plerisque qui, dum auctoritatem ex aliorum opinione pendentem acriùs retinere volunt, eos sequi coguntur quos videntur sibi ducere: scilicet clientibus morem gerit ille patronus, dumque recitandi materiam et renovandæ

continuò gloriæ occasionem venabatur, eò adductus est ut orationes in auditorio legeret: res apud Romanos nova: mox, Plinio auctore, in consuetudinem recepta, quo quidem non optimè orator noster de eloquentiâ Romanâ meruisse mihi videtur. Diu quidem cunctatur, suadentibus tamen, ut ait, amicis, quamvis multæ dubitanti difficultates proponantur, victum se suo in hortantes obsequio dicit (II. 19). Quosdam verò fuisse qui reprehenderent ex epistolâ apparet, quam Celeri cuidam, (fortasse Quintiliani genero) scribit, in quâ rem excusat, et multorum patrocinio defendit, qui hujusmodi recitationes usu receperunt (VII 17). Hunc verò morem num oratoris nostri eloquentiæ multùm profuisse credas? «Timor, inquit, emendator acerrimus: hoc ipsum, quòd nos recitaturos cogitamus, emendat; quòd auditorium ingredimur, emendat; quòd pallemus, horrescimus, circumspicimus, emendat. » Mihi verò contra videtur: suspecta oratio quæ ad duplicem quasi finem pertinet; aliud enim judex, aliud auditorium reposcit, ubi non jam ad probandum dicitur, sed scribitur ad placendum. Plinium verò num tot in Panegyrico flosculos collecturum fuisse credis, nisi recitationem prospexisset? an omnia hæc Quintiliano placuisse? At orationes recitaturus refingebat, multa inserebat, multa commutabat (VII. 17). Esto; qualia

verò ille orator eloquentiæ exempla proponebat amicis, et auctoritate suâ junioribus commendabat? Dum Demosthenem, Dii boni! imitari tentat, non Ciceronis ληκύθους fugisse profitetur, quoties paululùm itinere decedere, nec intempestivis amœnitatibus admonebatur (I. 2). Qualem fuisse illam orationem credas de quâ : « *Sunt quædam adolescentium auribus danda*, præsertim si materia non refragetur; nam descriptiones locorum, quæ in hoc libro frequentiores erunt, non historicè tantùm, sed prope poeticè sequi fas est (II. 5). » Equidem diffido timenti ne quid lautiùs fecerit quàm orationis severitas exigeret, et exoranti amicum ut in quibusdam frontem remittat (ibidem). Mussant severiores amici, et in poeticam audaciam prolabentem revocant ; renititur Plinius, et illos κακοζήλους dicit, et eorum tenuitatem insequitur et exàgitat, et ut timidioribus illudit, quibus tumidius videatur, quod est sonantius et elatius (VII. 12). Necnon apud Lupercum eamdem accuratè causam agit, et defendit audaciam : « Vides, inquit, qui per funem in summa enituntur, quantos soleant excitare clamores, quum jam jamque casuri videntur : Homeri etiam Demosthenisque exemplo se tuetur; nec sine quàdem ironiâ : « exspecto, ut quædam ex hac epistolâ, ut illud *gubernacula gemunt*, et *diis maris proximus*, iisdem notis, quibus ea de quibus scribo, con-

fodias (IX. 26).» Elegantissima quidem defensio : timeo tamen ne non omni culpâ liberatus Plinius abire potuerit.

Quædam, inquit, auribus adolescentium danda ; incidit suspicio, ne ille rector, ille magister, qui tot adolescentes format et instituit, ab istis etiam paulùm immutatus fuerit, quos instituere sibi videbatur; ne scilicet, dum immodicè placere laborat, quamdam ab illorum adolescentiâ scribendi lasciviam quasi mutuatus sit, nedum illi ab eo maturitatem. Scilicet qui jam orator in poeticam temeritatem quibusdam vergere videbatur, idem mox, quadragesimum annum egressus, ad versus divertit, imò ad versiculos. An, qui in auditoriis regnare cuperet, auditorum pigritiam arrogantiamque, de quâ non semel questus est, reformidans, et orationum severitati diffisus, lætiorem recitandi materiem conquisivit, et quæ magis obvia foret desidiosis ? Nostro certè proposito non alienum fuerit novam istam oratoris ambitionem diligentiùs inspicere, quando nata sit, quove modo et quatenus creverit.

Paterno primùm orationem exspectanti, versiculos mittit « quasi ex aliquâ peregrinâ delicatâque merce ; » ista quidem otii oblectamenta esse ait, et ineptias quas longiore præfatione excusare ineptissimum : timet

tamen ne petulantiora quædam videantur, et gravissimorum se hominum exemplo tuetur (IV. 14). Illos tamen versus, nondum, ut videtur, limen egressos, uxor cantat formatque citharâ (IV. 19). Laudant juniores : apud quos jam Plinius ivit in exemplum; ut ille Sentius Augurinus adolescens qui versiculorum petulantiæ Plinii auctoritatem prætendit (IV. 27); ut ille Julius Naso qui maximè nascentibus opusculis interest (VI. 6). — Quid graviores amici? Ille Aristo cujus rigidam virtutem Plinius laudavit (I. 22) nostrum admonet : « Celandum non putasti exstitisse quosdam, qui scripta quidem ipsa non improbarent, me tamen amicè simpliciterque reprehenderent, quòd hæc scriberem recitaremque (V. 3) : » imò ex hâc epistolâ apparet fuisse apud amicos de Plinii versibus existimationem, et admirationem quòd senator talia scriberet, imò recitaret pluribus : noster contra rei invidiam joco dissolvere : « Quibus ego ut augeam culpam, ita respondebo : facio nonnunquam versiculos, severos parum ; facio comœdias et audio, utque omnia innoxia remissionis genera breviter amplectar, homo sum. » Agit causam tamen ; multorum profert illustrium virorum nomina quibuscum errare laudabile sit ; cur verò invideat aliquis quòd recitet? recitatione enim et judicio hominum libellus demùm corrigitur et absolvitur.

In septimo epistolarum libro, res non jam defenditur ; laudatur contra. Fabius Justus, quanquam assiduis occupationibus impeditus, scripta desiderat, quæ vix ab otiosis, inquit Plinius, impetrare aliquid perituri temporis possunt ; ergo, ubi hiems erit, quum credibile erit Justum noctibus saltem vacare posse, quæret noster quid potissimùm ex nugis exhibeat (VII. 2). Jam unum hendecasyllaborum volumen separatim absolutum est; ad elegos transiit ; plura metra tentavit ; probaverunt sodales. « Leguntur hendecasyllabi, describuntur, cantantur etiam ; a Græcis quoque, quos latinè hujus libelli amor docuit, nunc citharâ, nunc lyrâ personantur; imò, jam Plinius posteritatem versiculis prospicit (VII. 4). Illos verò quantùm fovet, quove amore quasi paterno aut evolaturis viam parat, aut evolantes sequitur ! Genialem adolescentulum laudat quòd libellos istos cum patre legat (VIII. 13). Elicit, invitat Sabinus ut quàm plurima Plinius communicare velit; noster amico gratias agit, qui ipsius libellos memoriter tenet (IX. 18). Mamilianus, in castrensium negotiorum turbâ, Plinii lusus amat, flagitat, eumque ad similia condenda excitat : incipit Plinius ex hoc genere studiorum non solùm oblectationem, verùm etiam gloriam petere : « Tu columbulis nostris inter aquilas vestras dabis pennas (IX. 25). »

Hæc igitur notanda : cunctantem primùm in nugarum lasciviâ oratorem, paulatim fiduciam, plaudentibus amicis, sumpsisse; inde etiam, procedente tempore, quæsivisse gloriam : semper tamen illam in ludendo petulantiam a moribus sedulò sejunxisse; dum enim lascivum poetæ ingenium laudat, idem moribus exornari dicit (IV. 27). Idem jam quum nondum poeta, poetam Spurinnam laudibus extolleret, « mira, aiebat, hilaritas, cujus gratiam cumulat sanctitas scribentis (III. 1). » Ipse sibi illam semper legem a Catullo expressam videtur observavisse :

..... Castum esse decet pium poetam :
Ipsum, versiculos nihil necesse est (IV. 14).

Ergo undique laudari Plinius, undique amari; leguntur opera, recitantur, cantantur; a quibusdam etiam ediscuntur; et Romæ, et in provinciis veneunt; cum militibus in castra profecturis, cum magistratibus provinciæ præfuturis peregrinantur (IV. 20). Ipse in auditoriis regnat, regnat in scholis; adolescentibus gratissimus, quorum ut minor in judicando severitas, ita major in laudando impetus; nullus in urbe, præter Tacitum, qui tantam ex studiis gloriam reportaverit. Hæc autem omnia indolem eò præcipitaverunt quò jam vergebat, in nimiam scilicet indulgentiam et in vanitatem.

Ille enim quasi publicus famæ studiosis dispensator, quàm immodicus in laudando ! quàm facilis in pollicendam immortalitatem ! Illud quidem optimi animi votum, et hominis simplicitati ferè ignoscendum : o si, comitantibus amicis, ad posterorum memoriam via aperiatur ! Quantùm verò ab illo Quintilio distat !

« Corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc. » Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quàm vertere malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat ina-
Quin sine rivali teque et tua solus amares. [nem,
(Hor. Ep. ad Pis. 438.)

Nostro contra, laudare, acerrimus videtur stimulus monendi (V. 17) et recitantem multùm ac diu osculatur ; neque est qui fiat Aristarchus ; is est contra qui dicat

Cur ego amicum
Offendam in nugis? (Epist. ad. Pis. 450.)

Neque suadet ut nonum opus prematur in annum, membranis intus positis (Epist. ad. Pis. 388). Imò contra morantes amicos increpat, instigat etiam, et cunctantes quasi ad auditorium rapit : « Recita saltem, quò

magis libeat emittere, utque tandem percipias gaudium quod ego olim pro te non temerè præsumo (II. 10). » Reprehendentibus etiam quibusdam amicis, tanquam amicos suos ex omni occasione ultra modum laudet, agnoscit crimen, amplectitur etiam : ferè indignatur quòd felicissimo errori quidam invideant, nec se persuaderi posse declarat, ut suos a se amari nimiùm putet : « Ut enim non sint tales, quales a me prædicantur, ego tamen beatus, quod mihi videntur (VII.28). »

Qui autem beatum se existimabat quod tales crederet esse amicos, quales ipse prædicaret, quid mirum si talis sibi visus fuerit qualis et prædicaretur ipse, et haberi cuperet? Illæ quas faciliùs largitur laudes ad eum quasi redeunt, omnesque, tanquam conspiratione factâ, invitant ut sibi placeat, et æmulus Demosthenis, et alter Cicero esse credat. Ille Genitor, cujus schola a Plinio commendatur, eò forsan in laudem promptior quò illustrior patronus, bonum dubitanti animum facit, et libellos de Helvidii ultione orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confert (VII. 30). Plinium autem in Ciceronis æmulationem gloriosiùs elaboravisse manifestum faciunt amicorum epistolæ, apud quas non tam frequens illa cum Tullio collatio esset, nisi eam cognovissent amico jucundissimam fore; neque ipse in respondendo ita libenter rem com-

memoraret, nisi esset ad hanc assentatiunculam mollissimus. Ergo dum Proculus versus emendandos mittit, de libellis judicaturo palpatur poeta, et dum adhibet preces, adjicit *M. Tullium* mirâ benignitate poetarum ingenia fovisse (III. 15). Quid vafer ille Martialis, dum Musam hortatur ut Plinii domum quærat in Esquiliis, adeat reverenter ?

> Totos dat tetricæ dies Minervæ,
> Dum centum studet auribus virorum
> Hoc quod secula posterique possint
> *Arpinis* quoque comparare chartis.
>
> (III. 21.)

Qui quidem versiculi ita Plinio placuerunt ut memoriâ tenuerit. Arrianus, dum auguratum Plinio gratulatur, se ob hoc maximè hoc auguratu delectari scribit quòd *M. Tullius* augur fuerit. « Lætaris, inquit Plinius, quòd honoribus ejus insistam, quem æmulari in studiis cupio : sed utinam, ut sacerdotium idem et consulatum, multò etiam juvenior quàm ille, sum consecutus, ita senex saltem ingenium ejus aliquià ex parte assequi possim! (IV. 8). » Sabinus, inter reverentissimos clientes numerandus, dum plurimas, etiam longissimas litteras flagitat, patronum ad *M. Tullii* exemplum vocat (IX. 2). Noster verò contra istam amicorum assentationem molliter se defendit, et modestiam opponit,

ut qui vinci velit, et fugit quidem, verùm ad salices. Ipse alioquin illam comparationem cæterorum animo libenter et quasi temerè injicit; ita, dum narrat quomodo adductus fuerit ut versiculos tentaret, novæ istius ambitionis originem fuisse memorat quoddam Ciceronis in Tironem epigramma (VII. 4). Regulus ille, de quo antea dictum est, Nervâ principe, in gratiam cum Plinio redire voluit, tentatoque per communem amicum animo, illum convenit; multæ quidem Plinio in Regulum irarum causæ : ille Rusticum Arulenum, recitato libello, contumeliis insectatus erat ; ipsum Plinium nuper, regnante Domitiano, apud centumviros capitaliter lacessiverat : quale verò ante omnia crimen, utpote gravissimum, dissolvere tentat ille bipedum nequissimus, sed etiam vaferrimus? An illata amicis, illata ipsi pericula? imò contra, inflictum ipsius vanitati vulnus : ait timere se ne animo Plinii hæreat quod in centumvirali judicio aliquando dixerit, quum responderet Plinio et Satrio Rufo : « Satrius Rufus, et cui est cum Cicerone æmulatio, et contentus non est eloquentiâ sæculi nostri. » Neque negat Plinius ; sed liberè et audacter respondet : « Est inquam, mihi cum Cicerone æmulatio (I. 5). »

VIII.

QUALIS PLINIO CUM TACITO AMICITIA.

Inter eos quos familiaritate Plinius amplexus est, proprium sibi locum Cornelius Tacitus videtur vindicare. Ille quidem oratore nostro paulò major, jam gloriâ famâque florebat quo tempore Plinius adolescens prima in foro eloquentiæ rudimenta approbabat, et Tacitum ut maximè imitabilem, ut maximè imitandum reverebatur. Ut verò sex aut septem anni grande puerilis ætatis spatium, ita decrescere videtur, crescentibus

annis, intervallum : ambo igitur, ut noster ait, sextum et quadragesimum fermè annum agens, ætate propemodum æquales (VII. 20). Consulares ambo ; æqua ferè dignitas, æqua etiam gloria. Plura conjunctionis vincula : Virginium Rufum Plinii tutorem Tacitus consul laudaverat (II. 1) ; eodem tempore quum Afri Marium Priscum proconsulem accusarent, Tacitus cum Plinio provincialibus adesse jussus (II. 11) ; apud Plinium Tacitus Julium Nasonem candidatum commendat, communem amicum (IX. 9) ; communis etiam cum Asinio Rufo familiaritas, quem Plinius Fundano consuli commendat (IV. 15) ; communia etiam studia, et frequens libellorum commercium, quos alter alteri emendandos mittit (VIII. 7 ; VII. 20). Ea familiaritas, ut Plinius Tacito munus injungat præceptores Comensibus circumspiciendi (IV. 13) ; quâ quidem in epistolâ Tacitum in studiosorum societate viventem videmus ; multa ergo similia, plures amicitiæ causæ : adde quòd apud vulgus pares et quasi gloriæ gemelli habebantur, ut si quis de studiis sermo, unà nominarentur, et de Tacito loquentibus statim Plinius occureret (VII. 20). Durat per novem Epistolarum libros commercium illud concordiæ, simplicitatis, fidei plenissimum ; nec ullum nisi quintum librum reperias, in quo aut non ad Tacitum epistolam noster scribat, aut non honorificè mentionem illius faciat.

Nulla tamen in epistolis cujusquam auditorii mentio in quo Tacitus recitaverit; nulla libri cujusquam laudatio, quamvis interea et Dialogus de Oratoribus, et Germanorum mores, et Agricolæ vita, et Historiæ ederentur; viri gloriam summis laudibus Plinius extollit, de his tacet quæ hanc gloriam meruere; si quis de Taciti eloquentiâ sermo, brevis formula laudandi, ut : « hic supremus felicitati ejus Virginii Rufi cumulus accessit, laudator eloquentissimus (II. 1) ; » aut : « Respondit Tacitus eloquentissimè et, quod eximium orationi ejus inest, σεμνῶς (II. 11). » Scilicet vir in laudandis amicis profusus, qui nihil in studiosorum libellis omittit quod celebrari possit, qui continuò familiares ad scribendum, promissâ immortalitate, incitat, cur adeo sibi dissimilis in eum invenitur, qui inter amicos eloquentissimus esset, et immortalitate dignissimus? An quia Taciti ingenium non satis intellexerit? Unde verò Taciti gloriam adeo ardenter æmulari cupivisset? An quia amicitiæ subesset invidiæ nescio quid? et hominis vanitatem prægravaret nimia Taciti gloria? Repugnat, mehercule, Plinii ingenuitas. Hæc verò quoque notanda : nusquam Tacitus in Plinii auditorio præsens memoratur; solenne quidem Plinio acceptas ab amicis laudes in epistolis referre, et ostentare cæteris, eò etiam accuratiùs, si major laudantis aucto-

ritas : unde fit ut nullam ab Tacito laudem referat, vir quàm minimè gloriolæ negligens ?

Scilicet multa inter utrumque dissimilia : hunc Tacitum finge Historias Annalesve conscripturum, hinc în operosâ tot librorum recognitione versatum, illinc in tristissimâ servitutis et scelerum pertractatione; non ille profectò, ut Plinius noster, in beatissimum quemque errorem facilis ; at imperii vulnera explorare, tot flagitiis erubescere, publicis condolescere doloribus, et dum præterita narrat, futura prætimere : ex illâ autem tot miseriarum recensione, altior, ut videtur, et tristior evaserat animus; inde homini gravitas quædam, et cujuslibet futilitatis fuga, et severum aliquid, utque Plinii verbum usurpem, σεμνόν. Qualis autem illa circa Plinium studiosorum societas ? Quanta scribendi vanitas ambitioque ! quanta laudandi intemperantia ! Quid mirum si Tacitus, quamvis Plinium optimum hominem, laborum aliquando socium, gloriæ etiam æmulum, et magni faceret, et sincerè diligeret, ab illo tamen commercio, non dicam abhorruerit, sed paulò fuerit alienior, et se quasi eò seposuerit, ubi jucunda cum amœnissimis hominibus amicitia, non autem quotidiana cum vanissimis consuetudo? Neque vir gravissimus in amici prædicatione immodicus, sicut cæteri illi clientes qui laudes et indulgentiam admiratione

aucupantur; neque mirâ, ut Plinius, benignitate auditoria frequentat, nec officiosas scribit epistolas quibus se jactare possit oratoris nostri ambitio.

Quid contra Plinius? Non talis profectò erga Tacitum qualis erga cæteros : neque ingenuitatem incuses; imò contra: Tacitum sincerè diligit, simpliciter laudat; ita autem sumus naturâ comparati, ut non iidem cum quibuslibet simus, tales autem quales fingit cujusque indoles; paululum vel nescientibus immutatur habitus, prout cum diversis commercium est; nec totam cum quolibet indolem exserimus, sed ea tantùm quibus illi similiores sumus quocum conversamus; præsertim si minus constans cum constantiore rem habeat; hoc enim proprium habet altioris animi firmitas ut cæteros quasi contactu suo similiores sibi aliquantisper faciat. Ergo Plinius qui apud plerosque amicorum gloriolæ indulget, qui laudes et profusissimè largitur et avidissimè arcessit, qui immortalitatem sibi et cæteris asserit, graviter contra cum gravissimo agit; neque jam primas partes suscipit, nec gloriæ præconem agit, et studiorum hortatorem, et sponsorem immortalitatis; subest modestia, timiditas quædam, nec nisi verecundè et de se et de Tacito loquitur.

Ad epistolas veniamus, in quibus non, ut cum Genitore cæterisque clientibus, ingenio temerè indulget; alius hic color: cavere noster videtur ne Taciti severitatem offendat; hoc etiam in primis notandum quâ reverentiâ amicum quasi suspiciat. In primo libro Tacitum de disputatione quâdam consulit, utrum magis in dicendo amplum et copiosum dicendi genus probandum sit, an brevius et circumscriptum; ipsi quidem ampla magis placent: « hæc est adhuc, inquit, sententia mea, quam mutabo si dissenseris tu; sed planè cur dissentias explices rogo: quamvis enim cedere auctoritati tuæ debeam, rectiùs tamen arbitror in tantâ re ratione quàm auctoritate superari (I. 20). » Hæc noster sextum et trigesimum annum agens: num durabat adhuc illa reverentiæ consuetudo ab adolescentiâ suscepta? Verùm in octavo libro, quum Plinius, quinquagesimum annum egressus, totâ jam gloriâ floreret, corrigendum quemdam (ut videre est) misit Tacitus, ut *magister magistro*, ut *discipulus discipulo;* negat Plinius, neque se tanto honore dignatur « nam tu magister, ego discipulus (VIII 7). »

Libenter etiam crediderim Tacitum nimiàm interdum in scribendo assiduitatem amicè reprehendisse; suasisse Plinio ut corpori aliquando indulgeret, et venaretur; unde fit enim ut duæ istæ de venatu epis-

tolæ ad Tacitum scriptæ fuerint? Quarum in priore : « Ridebis et licet rideas : ego ille quem nosti, apros tres, et quidem pulcherrimos cepi. Ipse? inquis ; ipse (I. 69). » Se tanquam risus materiam amico præbet, et ipse suam illudit inertiam ; nonne ibi vestigium quoddam urbanæ cavillationis quâ Tacitus istius scholastici pigritiam irriserit, et in exercendo corpore imperitiam? In alterâ autem epistolâ : « Cupio præceptis tuis parere. » Ergo præceperat Tacitus ut venaretur? « Sed aprorum tanta penuria est, ut Minervæ et Dianæ, quas ais pariter colendas, convenire non possit. » Quum igitur Tacitus ab illâ studendi continuitate amicum retrahere non posset, saltem, ut videtur, suadebat ut studeret inter venandum, et aliquid ex istâ contentione remitteret. Excusat contra Plinius quòd totus ad studia redierit. « Itaque Minervæ tantùm serviendum est; delicatè tamen, ut in secessu et æstate (IX. 10). »

Illud verò notabile: qui cæteros clientes ad gloriæ spem excitat, et cum securitate quâdam plerosque amicorum ad immortalitatem, dum ipse ante studiosum agmen procedit, ducere sibi videtur, ubi Tacito scribit, non jam sibi similis; illi scilicet comes adhærere, imò comes exterior, et in illius vestigiis timidè ad incertam immortalitatem eniti. Dum rogat ut habitam contra Bæbium Massam actionem Tacitus historiis inserat,

et posteris commendet, quanta in petendo verecundia! « Hæc, utcumque se habent, notiora, clariora, majora tu facies ; quanquam non exigo ut excedas actæ rei modum : nam nec historia debet egredi veritatem, et honestè factis veritas sufficit (VII. 33). » Redit in memoriam illa Marci Tullii ad Lucceium historicum epistola, plenissima quidem impudentiæ, in quâ rogat orator ut consulatus amplissimis laudibus ab historico exornetur : « Te planè etiam atque etiam rogo ut ornes ea vehementiùs etiam quàm fortasse sentis, et in eo leges historiæ negligas, ... amorique nostro plusculum etiam quàm concedit veritas largiare (Epist. ad Famil. V. 12). » Ista mehercule epistola neque illi honesta, qui scribit, neque illi cui scribitur ; alter enim suâ apud minorem amicum auctoritate, ut corrumperet, abutebatur ; alter is erat qui videretur corrumpi posse. Verùm ex comparatione manifestiùs apparet, quæ fuerit Plinii in Tacitum verecundia, quibusque verbis apud Tacitum de historici integritate et fide diceretur.

Nulla prætermittitur occasio quâ se Plinius Tacito conjunctum ostendat, nec quidquam omittit, quod vinculum quoddam habeatur, quo Tacito quasi adhæreat : « Librum tuum legi, et quàm diligentissimè potui, annotavi ; nunc a te librum meum cum annota-

tionibus tuis exspecto. O jucundas, o pulchras vices ! Quàm me delectat, quòd, si qua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, quâ concordiâ, simplicitate, fide vixerimus ! Erit rarum et insigne, duos homines, ætate propemodum æquales, nonnullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parciùs dicere, quia de me simul dico), alterum alterius studia fovisse. » Ipse adolescentulus Tacitum imitabatur « ita enim similitudo naturæ ferebat ; » ambo igitur celebrantur simul ; in testamentis etiam eadem legata, et quidem pariter accipiunt (VII. 20). Ergo, quamvis maximas sæpe laudes apud centumviros, maximas in senatu retulerit, nunquam tamen majorem cepit voluptatem quam ex illo sermone Taciti : « Narrabat, sedisse secum Circensibus proximis equitem Romanum : hunc post varios eruditosque sermones requisisse : Italicus es an provincialis ? Se respondisse : nosti me, et quidem ex studiis. Ad hoc illum, Tacitus es an Plinius ? (IX. 23). » Tota denique referenda illa epistola cujus nulla alia materies nisi ut se Tacito conjunctum jactet, et de communi utriusque gloriâ loquatur ; si verò tot epistolarum memineris ubi et in suâ et in suorum venditatione exsultat Plinius, quàm dissimilis color, quàm novus de immortalitate sermo est : « Nec ipse tibi plaudis, et ego nihil magis ex fide quàm de te scribo. Posteris an aliqua cura nostri, nescio : nos certè

meremus, ut sit aliqua, non dico ingenio (id enim superbum) sed studio, labore, et reverentiâ posterorum. Pergamus modo itinere instituto: quod ut paucos in lucem famamque provexit, ita multos è tenebris et silentio protulit. (IX. 14). »

Scilicet in omnibus illis ad Tacitum epistolis, noster modestissimus et verecundissimus; cui utinam frequentiùs scripsisset; utinam frequentior cum viro consuetudo fuisset, cujus gravitas, Plinii nostri vanitati utile, ut videtur, temperamentum attulisset.

IX.

QUOMODO ET QUEM IN FINEM PLINIUS EPISTOLIS USUS FUERIT.

Plures illis temporibus apparet epistolas ita composuisse ut, quamvis unius amici nomen præferrent, omnibus reipsâ scriberentur et editionem prospicerent. Vetus exemplum, quum tot servatæ fuissent Ciceronis

epistolæ, in novum hunc usum detorserat studiosorum curiositas, quæ nihil omitteret ubi locus eloquentiæ ostentationi esse posset. Epistolas et scribit Voconius Romanus, ut Musas ipsas latinè loqui credas (II. 13); et ostendit P. Saturninus quas uxoris esse dicit: « Plautum vel Terentium metro solutum legi credas (I. 16). » Ipse Plinius in eâ epistolâ quæ tanquam præfatio quædam cæteris præmittitur, non rem ut novam excusat, vir tamen in publicandis operibus præoccupandæ gratiæ curiosissimus; qui non orationes prius recitare cœperit, quàm veniam novitati præparavisset. « Frequenter hortatus es, inquit, ut epistolas, *si quas accuratiùs scripsissem,* colligerem publicaremque (I. 1). » Ipse ergo confitetur non has esse negotiales familiaresve litteras, quæ unum dumtaxat spectant, quarum totum hoc consilium est, ut aliquid aut ignoranti nuntietur, aut respondeatur interroganti. Ipsæ alioquin epistolæ eruditas se profitentur et scriptas esse ut ab omnibus legi et approbari possent. Quum enim amicus amico familiariter scribit, multa cursim et obiter indicantur, quæ quidem utrique perspicua, obscurissima fiunt, si quis ad legendum extrinsecus accesserit. Inde fit ut illas Tullii epistolas nonnisi multarum rerum comparatione et doctissimis annotationibus adjuti, et adhibitâ etiam conjecturâ planè

intelligere possimus. Hìc autem obscuritas nulla ; parata omnia atque obvia; neque mirum, ista enim nobis scripta sunt.

Unde enim hoc epistolarum genus Plinio arriserit, facile intelligi potest. Nullum, ut vidimus, tempus erat quod studiis periret; in lectulo, in itinere, inter cœnandum, semper aliquid quod meditaretur ; ipsa autem invitabat epistolarum brevitas ut in erudito hoc oblectamento breve et periturum otium collocaret; ergo frusta temporis in ista quasi eloquentiæ frusta conferre incepit, quum nondum poeta versiculis otia redderet ; hanc verò accuratiùs epistolas scribendi consuetudinem semper retinuit, ex quâ aliquid gloriæ, magnam etiam, ut videbimus, utilitas. Ad hoc, noster imitandæ antiquitatis cupidissimus, majoribus similior esse, credo, sibi videbatur, si epistolas ipse sicut quidam majorum fecissent, scriberet, si quid in senatu actum per epistolam nuntiaret, aut grave aliquod negotium referret, ut Priscum ab Afris accusatum, Classicum a Bæticis. Dolebat ille Ciceronis æmulus quòd non ipsi daretur tam benigna epistolarum materies : « non eadem nostra conditio quæ Marci Tullii ad cujus exemplum me vocas; illi enim et copiosissimum ingenium, et ingenio quà varietas rerum, quà magnitudo largissimè suppetebat; nos quàm angustis terminis

claudamur, etiam tacente me, perspicis (IX. 2). » Eò acriùs quælibet arripitur occasio istas dilatandi angustias, et Ciceronem, quatenus saltem licet, æmulandi : ergo quum consuetudo in senatu restituitur per tabellas suffragandi : « Hæc tibi scripsi, inquit, ut nonnunquam de republicâ loquerer, cujus materiæ nobis quantò rarior, quàm veteribus, occasio, tantò minùs omittenda est.... Habeant nostræ quoque litteræ aliquid non humile, nec sordidum, nec privatis rebus inclusum (III. 20). »

Hoc verò præcipuum ad epistolas incitamentum : homini gloriæ cupidissimo, et qui de semet ipso verba libentissimè facit, arridebat illa data opportunitas quâ de se excusatiùs loqueretur; dum amico familiariter scribere videtur, facilis stropha quâ ad se studiaque sua redeat, et multa de se in publicum proferat quæ non alio modo proferre possit. Nulla ferè epistola in quâ vel simpliciter, vel obliquè, aut sese ipse non laudet, aut sub specie respondendi, acceptas ab amicis laudes publicet. Mox etiam, quum principatum quemdam inter studiosos affectavit, epistolæ quasi paratissimum fuerunt principatus instrumentum.

Magna illius, quolibet in tempore gratia et auctoritas, qui ad plurimorum aures aditum habet, qui non modò ipse laudat aut reprehendit, sed propriam ho-

minibus existimationem communicare potest, eòque plures in sententiam adducere quòd sapiens et subtilis judex habetur. Hanc profectò in studiis auctoritatem Plinius per epistolas quæsivit obtinuitque. In quibusdam Plinius, dum res domesticas attingit, suam in suos et in familiam mollitiem ipse exornat, et indoli moribusque comprobationem parat; multò verò plures quæ ad studia et studiosos pertinent. Scilicet Plinius, hoc epistolarum genus longo jam usu receptum, in rem novam usurpavit, ita ut amicorum, sæpius etiam ipsius, laudes pervulgaret. Consuetum enim fuisse videmus ut illæ eruditæ litteræ uni quidem scriptæ viderentur, legerentur verò pluribus; sic Romanus, sic Saturninus; quò majores etiam scribentis auctoritas et elegantia, eò libentiùs qui accipit, plurimis communicat; mox verò in volumen coeunt; leguntur ab omnibus, circumferuntur et publica fiunt materies.

In eam autem operis partem devenimus ubi augustâ verborum penuriâ laboratur; quibus enim verborum ambagibus ea nomines quæ, utpote ignota, ab antiquis non fuerint nominata? Si verò datur Romanis Græca verba usurpare ubi latina deficiûnt, cur, si quædam a Gallico sermone mutuanda sint, similis audentia negetur? Ergo præoccupatâ, ad Plinii nostri exemplum, veniâ, ad rem veniamus.

Nostris quidem temporibus multa inventa sunt quæ facilem rapidamque inter omnes communicationem commodant; nec novum quidquam aut fieri, aut accidere potest, quod modò cognoscere operæ pretium sit, aut ne sit quidem, quin res statim innotescat et in publico disputetur; necdum ex typographorum officinis evolavit liber, quum jam commendatur; necdum prostat, quum jam laudatores habet qui luculentissima quæque prægustanda in venditationem præmittunt. Quo quidem nomine appellari possit istud : *le journal*, nescio : certè ille gravissimas apud studiosos partes agit qui laudem vituperationemque dispensat; qui in notitiam ignotos evehere potest, celeberrimorum etiam gloriam inquietare. Ille ergo, si famæ credendum est, colitur a pluribus, timetur, salutatur. Quid, si amœnissimus, et timidus offensionis, ad indulgentiam seu naturâ, seu consilio, inclinetur? Plurimæ illi amicitiæ, et si quid ipse in litteris valeat, datas laudes quasi recolligit, et eò libentiùs laudatur a cæteris, quò faciliùs cæteros ipse laudavit.

Eo fermè modo Plinius epistolis usus est quo tempore difficilior et rarior inter homines communicatio ; multaque ibi reperire possis his similia quæ apud nos vulgò fiunt. Ita Isæo, qui nuper in Urbem advenit, quàm feliciter successerit narrat Plinius, et

omnes novæ illius eloquentiæ partes singillatim enumerat: « quem tu nisi cognoscere concupiscis, saxeus ferreusque es; proinde, si non ob alia nosque ipsos, at certè ùt hunc audias, veni. (II. 3.) » Ita Euphratis philosophi scholam aperientis, mores, eloquentia, demissi etiam capilli, et ingens canaque barba, habitus denique sapiente dignissimus, commendantur: « Te, cui vacat, hortor, quum in urbem proximè veneris (venias autem ob hoc maturiùs) illi te expoliendum limandumque permittas (I. 10). » Ita dum de Genitore epistola publicatur, memoraturque scholæ severitas, pudor, castitas, utrum Corelliæ tantùm scribi putemus, an omnibus qui filio Latinum rhetorem circumspicuint? (III. 3). Ista quidem quominus *reclame* appelles, illud tantùm obstat quòd verbum apud nos usu malè comprobatur.

Si quod opus amici in manibus habent, res studiosis nuntiatur; parat Caninius bellum Dacicum versibus græcis scribere; stomachum etiam noster movet dum materiam laudat tam recentem, tam copiosam, tam latam, tam poeticam, et (quanquam in verissimis rebus) tam fabulosam (VIII. 4). Si cunctatur Octavius judicia hominum recitatione expiriri, bonum Plinius animum facit, et dum gloriam pollicetur, reipsâ parat (II. 10). Ita Tranquillo editionem longiùs differenti (V. 11);

ita Capitoni recitaturo (VIII. 12), aut lectores, aut auditores parantur. Eumdem Spurinna qui lyrica scribit, Antoninus qui Græca epigrammata, paratum præconem inveniunt : longior quidem esset enumeratio; memoremus tamen et Passienum Paulum qui Horatium Propertiumque refert ; et Romanum elegantissimum comœdiarum auctorem ; et Saturninum quĩ in eloquentiâ, in historiâ, in versibus pariter valet, et tot denique alios. Recitat Sentius Augurinus (IV. 27) ; recitat Calpunius Piso (V. 17) ; ambo adolescentes et gloriæ candidati : laudat Plinius, profert, et tanquam prærogativo suffragio, doctis annumerat. Causam ex diverso agunt Fuscus Salinator et Numidius Quadratus : adest discipulis magister, et par egregium sæculo litterisque ornamento futurum ominatur : « Mira utrique probitas, constantia salva, decorus habitus, os planum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, judicium æquale (VI. 11). » Quid est aliud quàm illos in foro tirunculos, gloriæ et litigatoribus designare ?

In epistolis Plinii, sicut in *publicis* apud *nos chartis* egregiorum virorum mors deploratur, vita laudatur; ut Virginii Rufi, et Corellii, et Aviti : de Spurinnâ autem, Vestricii senis filio, libellum non modò composuit, sed eum jam recitatum in auditorio, et in eo esse

ut emittatur, et parentibus et cæteris etiam per epistolam nunciat (III. 10). Præcipua epistolarum materies, litteræ ; multa tamen et varia inseruntur, ut tædium vincat diversitas et liber magis legentibus arrideat. Ita narratur de morte Largii Macedonis per atrox servorum scelus interempti (III. 14) ; ita de Valerio Liciniano, qui exul de senatore, rhetor de oratore factus, nunc in Sicilià profitetur (IV. 11) ; ita de Maximæ Vestalis supplicio, jubente Domitiano, defossæ (ibid.) ; ita de Arriæ factis (III. 16.) ; ita de Robusto, splendido equite Romano, qui postquam cum Attilio Scauro aliquamdiu commune iter peregisset, nusquam ipse comparuit, nusquam ipsius servi ; et a filio nunc quæritatur (VI. 24). Neque aliam ob causam describitur Vadimonis lacus, et fons Clitumnus ; et narrantur seu de Delphino Hipponensi miracula, et terribiles de phantasmatis historiæ.

Quidquid etiam notabilius aut in senatu, aut apud principem evenit, in libri farraginem accedit : ut illæ statuæ Spurinnæ filioque decretæ (II. 7) ; aut illa Bæticorum contra Classicum accusatio (III. 4) ; aut aboliti apud Viennenses Gymnici agones (IV. 22 ; aut reperta in tabellarum recensione multa jocularia atque etiam fœda dictu (IV. 25) ; aut Vicentini ab advocato in senatu decepti (V. 4) ; aut ortum inter Celsium præto-

rem et Licinium Nepotem acerrimum jurgium, in quo neuter contumeliis temperavit (VI. 5).

Item si quid in magnâ domo eveniat, quàcum Plinio sit familiaritas aut amicitia, inde noster libro varietatem quærere et publicum voluntatis testimonium. Ita Fanniæ valetudo narratur, quæ Thraseæ filia, Helvidii conjux, dignam utroque se ostendit. (VII. 19). Inde mollissima illa de puellæ morte epistola, quæ Fundani filia erat, cui quidem consuli non semel amicos Plinius commendat (V. 16). Inde tristis casus Helvidiarum sororum refertur, quæ ambæ a partu decesserunt (IV. 21). Inde, si Serviani filia nubat, res a Plinio nuntiatur, et laudatur sponsus, Fuscus Salinator, Plinii discipulus (VI. 26). Inde quasi aperitur Vestricii Spurinnæ domus, et in exemplum proponitur omnis victûs consuetudo (III. 1.)

In hac autem epistolarum diversitate, commune aliquid : patet semper Plinio diverticulum qua ad se redeat, in hoc quidem, usque ad reprehensionem ingeniosus. Per epistolas se continuò studiosis commendat ; illis quasi præfationibus utitur, et operibus gratiam præoccupat, aut, si quid invidiæ esse possit, amovet, aut gloriæ instat. Orationem Comi habuit quum bibliothecam dedicaret ; cunctatur de editione, ne scilicet arrogantior in extollendis beneficiis videatur ; sub

epistolæ specie, veniam sibi, ipsius cunctationis ostentatione, parat, et amicis argumenta suggerit quibus res defendi possit (I. 8). Postquam Panegyricum in auditorio recitavit, dum amicorum judicium refert, cæteris opus venditat, et præparat admirationem, dirigit etiam, et laudanda indicat (III. 18). Quàm multæ referri possint epistolæ, in quibus quum acceptas memorat a quibusdam laudes, omnes ad comprobationem arcessit et invitat. Hoc, ut videtur, Plinium non fugiebat ita homines comparatos esse ut ea potissimùm laudent, quæ ab aliis laudari audiunt; quæ Seneca de dignitate et pecuniâ ait, difficillima esse initia, et dignitatem citiùs crescere quam incipit, et pecuniam diu circa paupertatem moram habere dum ereptat (Epist. 101), eadem de scriptoris famâ aut de libri fortunâ verissima invenias. Epistolis autem Plinius ita usus est ut ortam in auditorio gloriam publicando augeret, et ut de Cæsare Lucanus, successus urgeret suos. Necnon quum primus orationes recitare incepit, aut versiculos jam consularis tentavit, per epistolas hominum judicia priùs captavit; reprehendentibus occurrit, favori lenocinatus est. Si mussant quidam, quod petulantior sit in libellis, aut tumidior in orationibus, aut in laudandis amicis nimius, in epistolis causam apud studiosos agit, et amicè redarguit, et eorum qui comprobant testimo-

nium in suam defensionem profert. Est quædam ad Titinium Capitonem epistola, suadentem ut historiam Plinius aggrediatur: cunctatur quidem Plinius, ita etiam cunctatus est ut nunquam rem tentaverit. Hæc autem epistola eo tempore scripta videtur quo Taciti Historiæ cum summâ hominum admiratione in publicum emittebantur. Plinius, cui nulla invidia, sed summa optimorum æmulatio, studiosis, ut videtur, nuntiare cupit et a se historiam posse conscribi; rem alioquin domesticam, quum avunculus, idemque per adoptionem pater, historias, et quidem religiosissimè scripserit; neque ignotas ipsi operis leges; posse denique fieri ut, quum orationes in magnis gravibusque causis habitas retractaverit, novam et ipse materiam attingat (V. 8). Hæc autem, quomodo pluribus communicet? Facilis via: Titinio Capitoni per epistolam respondet. Ille autem Capito litteras summo amore fovisse, non verò ita feliciter coluisse videtur; et eò magis in eloquentissimi amici amore et reverentiâ exsultavisse, quò minùs ipse eloquens (VIII. 12); magna autem viro in urbe gratia, frequentissimum cum omnibus studiosis commercium; nullus igitur inveniri poterat qui præconis partes libentiùs utiliùsve ageret. Scilicet illis jam temporibus usitatum erat, ut si quis rem publicare vellet, epistolam officioso cuidam amico scriberet, quæ ab omnibus legeretur.

Facile nunc intelligi potest quantam per epistolas auctoritatem Plinius sibi comparaverit: colitur vir amœnissimus; laudatur qui et benignissimè laudat, et amicorum famam, publicatis epistolis, publicat. Gloria est, si quis ab illo nominetur ; nec quisquam ardentiùs in auditoriis exspectatur; gloria etiam, si quis epistolam acceperit, quam ostendere possit, circumferre, seque jactare studiosorum principi amicissimum. Neque mirandum quòd is sit plerùmque epistolarum color, ut quamvis in summâ amœnitate, Plinius aliquantulùm patronum agere videatur.

Si etiam epistolarum libros percenseas, quorum primus anno 96-97 editus videtur, postremus anno 108-9, hoc facillimè animadvertere possis: in primis multorum clientem fuisse Plinium; in ultimis multorum patronum; duplex causa: hinc ætas crevit, illinc auctoritas. Multi enim de quibus in primis libris agitur, morte absumpti; abierunt multi optimi senes quorum exemplis informatus est Plinius, quorum amicitiâ provectus est. Subeunt multi in amicitiam novi, juniores quidem, et qui eâdem reverentiâ Plinium amplectuntur quâ ipse patronos amplexus erat. Perpetuum cum æqualibus commercium ; apud eos verò, si Tacitum excipias, magis magisque Plinius hortatoris, monitoris, patroni personam suscipit: fre-

quentiora non modò de studiis, sed de moribus consilia; tum Maximum ad Achaïam ordinandam missum longiùs admonet ut in Græcos indulgentissimun se præbeat (VIII. 24); tum Tironi suam erga provinciales æquitatem gratulatur, monenti tamen quàm laudanti similior (IX. 5); tum Geminum monet cæteris ita ignoscendum, tanquam ipse quotidiè pecces; ita peccatis abstinendum, tanquam nemini ignoscas (VIII. 24); tum Junior de patre quodam scribit qui acriùs filium in iis reprehenderet, in quibus sibi ipse nimium indulserat (IX. 12); tum Genitorem superbiùs querentem, quòd in convivio quodam scurræ, cinædi, mensis inerrarent, monet aliquid ex rugis remittendum, et dandam esse alienis oblectationibus veniam (IX. 17); tum Sabinianum liberto vehementiùs succensentem hortatur ut exorari se sinat (IX. 21); et eidem, reducto in gratiam liberto, gratulatur quod in irâ regi possit; admonet etiam ut erroribus suorum, et si non fuerit qui deprecetur, placabilem se in posterum præbeat (IX. 24).

Hoc verò in honorem Plinii notandum, et isti quam effinximus indoli maximè congruens: illæ quas diligebat litteræ, in senium vergentem magis ad humanitatem inclinabant; crescit, annis crescentibus, amœnitas; neque ipsius vanitas, neque tot amicorum

laudes ullam optimo animo arrogantiam tristitiamque allinere potuerunt; imò contra, facilior semper, non suâ in amicos auctoritate utitur nisi in indulgentiam, mansuetudinemque; ita ut illi referri possit ille Horatii versus, nescio an pulcherrimus :

Lenior ac melior fis, accedente senectâ.

CONCLUSIO.

Quum, Plinii temporibus, vergens in ruinam imperium Trajanus sustineret, suberat huic caducæ felicitati anxium aliquid et quasi morbidum ; incumbit senescenti orbi quædam lassitudo. Quò enim se convertant hominum animi ? an ad Deos, quos si quis esse credat, debilitetur potiùs superstitione quàm solatio quolibet reficatur ? an ad philosophos, quorum

sanctissimi templa serena pollicentur, paucissimis pervia, et in quibus, nonnisi exutâ humanitate, locus tandem expugnatur, quietis simul et tristitiæ plenus. Nec spes ulla quæ ad futura evolare possit : honestissimo cuique prægravis hesternorum flagitiorum memoria, et suspecta securitas quæ in unius capite aut libidine periclitatur ; optimi ad præterita respiciunt. Mortuo Domitiano, multi flagitiosi in urbe superstites, potentes etiam ; qui, contempti et invisi, coluntur timenturque. Olim quum apud Nervam, super cœnam, in quemdam Catullum Messalinum sermo incidisset, nuper mortuum, qui sæpiùs a Domitiano in optimum quemque quasi contorquebatur ; quumque ipse imperator : « Quod putamus passurum fuisse, si viveret ? » — Junius Mauricus, modò ab exsilio redux : « Nobiscum cœnaret (IV. 22). »

Plurimi igitur voluptatibus acquiescere, omnem operam, omnem animum in ea reponere quibus saltem certissimè et in præsens fruaris ; gratiæ, pecuniæ imminere ; et cæterorum incuriosi, totos se in humiliora, aliquando in abjecta demittere. Quibus autem altior animus et mens prudentior, diffidunt præsentibus, et in istâ securitate, quamdam retinent animi ægritudinem ; inter illos tristiores severioresque et hunc Mauricum numerem, et Corellium, et Aristo-

nem, et Tacitum. Tertium genus hominum qui honestum inter optimos locum, quanquam in secundis, obtinent; de illis loquor quorum indoles a tristitiâ abhorret, quique læti et hilares præsentibus fruuntur; hâc autem in securitate negligentiæ aliquid aut vanitatis possis reprehendere; eruditissimum sæculum nacti, sibi placent dum omnem in litteris industriam consumunt; et dum inter studia cum amicis sese oblectant, omne vitæ propositum implevisse sibi videntur.

Inter quos nullus honestior quam Plinius noster, nullus felicior; quem facilis indoles, facilis vita, et continua fere felicitas in omnem amœnitatem ita composuerant, ut nemo indulgentiùs de rebus hominibusque judicium ferret. Illi obvia et parata fuerunt, quæcumque cupiverat, honores, amicitiæ, gloria per litteras quæsita; nec in illam fortunæ benignitatem ingratus noster, nec quisquam, credo, res secundas, hilariùs amplexus est. Severa studiosaque adolescentia, morum sanctitas, datæ studioso primis jam ab annis laudes, honesta merendæ laudis cupido, mox etiam vanitas, totum illum et quasi præcipitem in litteras impulerunt : in illis præcipuum laborem reposuit, ex illis præcipuam vitæ jucunditatem quæsivit; et, ut ipse ait; « ut ex studiis gaudium, ita studia ex hilaritate proveniebant (VIII. 19). » Viri autem digni-

tas, gratia apud multos, eloquentiæ fama, amœnitas etiam fecêre, ut ad eum convenerint quicumque propter studia a studiosissimo laudari, propter mores ab honestissimo probari possent; plurimi amicitiam ambiêre, quæ honesta omnibus, quibusdam utilis esset, et quasi principatum quemdam detulerunt, quem, ut opinior, dedignata esset Taciti severitas, quem verò et libentissimè arripuit Plinius noster, et humanissimè exercuit. Arridet illa per auditoria concursatio, illud annotandorum libellorum commercium, et circùm syllabas labor, et benigniùs laudes distribuendæ; arrident illa temperamenta quibus studiosorum vanitatè parcatur, et in illo hominum genere irritabili fugiantur offensæ: angustius illud curriculum, sed ad Plinii mensuram.

Morum verò sanctitatem litterarum proprium credidit, ut ea quæ facienda sunt magis intelligamus, toleranda fortiùs feramus; quum igitur se propter studia meliorem crederet, dum cæteros ad studia impellebat, aliquid, nec immeritò de moribus publicis mereri sibi videbatur. Immodicè amicorum libellos laudanti, tum ignoscas, si cogitaveris eorumdem mores simul meruisse ut a Plinio laùdarentur; inde etiam minor admiratio, quod nobiles divitesque vehementissimè Plinius ad studia excitaverit: adolescentes præsertim ad honestum circa litteras laborem quasi cons-

cribit ; illos venatur, illis amœniùs quàm quibuslibet lenocinatur. Indignanti ferè similis animadvertit a pauperibus præsertim litteras amari ; quantis contrà laudibus Salinatoris Quadratique eloquentiam extollit, clarissimorum juvenum ! (VI. 11) quàm multus in laudando Pisone : « Ne plura, inquit ; quanquam libet plura, quò sunt pulchriora de juvene, rariora de nobili (V. 17). » Eo in tempore, eâ in urbe, ubi tot invitant malarum rerum illecebræ, eos noster præsertim ad studia appellat, quibus paratior peccandi facilitas. Suetum hoc quibusdam philosophorum, ut illi Senecæ, ut homines a negotiis in secessum retraherent, ubi se sapientiâ possint excolere ; simile aliquid Plinius ; subest quædam virtutis cura quum cæteros ad studia invitat quibus ipse se excolit ; comis autem et hilaris nostri indoles, nihil requirit quod sit extremum et omnem fugit offensionem ; placet virtus in amœnitate posita, in hominum commercio et in honorum decursu versata ; sufficit ut quæratur ad honesta studia malarum rerum fuga, et cum optimis eruditisque jucunda propter litteras conversatio.

Num verò laudanda omnia ? Est profectò reprehensioni locus ; in illâ scribendi continuitate exhauriuntur animi mentisque vires : subit ambitio ; et dum scriptor morem otiosis et adolescentibus gerit, in ver-

bis magis quam in rebus elaboratur, et nimium datur adolescentium auribus. Juvat esse principem: est autem periculum ne principatus avidiùs retineatur; juvant laudes: periculum est ne non tantùm merearis, sed non exspectes, imò arcessas. In amœnissimâ illâ cum studiosis et amicis consuetudine, amor officit judicio; nec laudandi modò intemperantiâ peccatur, sed non jam satis discernitur qualis quemque locus deceat, quis justæ admirationis modus. Ita si quis tolerabilis orator feliciter causam egerit, noster sæculo gratulari; elegantia otiosi cujusdam oblectamenta iis laudibus commendat, quæ vix summum poetam aut grande quoddam opus deceant. Quid verò? non semel Antonini senis epigrammata græca memorantur; una de de Taciti Historiis mentio.

Illud accedit vitium quòd isti eruditi orbe quodam societatis ambiuntur, cujus et augusti fines et quasi prærupti; intus sodalicium est, et mutua admiratio; sibi placent, sibi docti videntur; negligentiores in cæteros aut severiores. Nusquam de Statio memoratur: ille autem forsan ante mortuus erat quàm primus scriberetur epistolarum liber: ingens tamen et recens gloria. Unde fit ut nulla inveniatur de Institutione Oratoriâ mentio? Gratum se erga magistrum

Plinius ostendit ; cur verò nulla laus de pulcherrimo opere, de talis viri studiis? Longior de Silii Italici morte epistola: multa de moribus vitâque, de operibus obiter: « Scribebat carmina majore curâ quam ingenio (III. 7). » Utrùm verò Silius Passieno Paulo aut Sentio Augurino, aut tot aliis inferior, an eò inferior videbatur, quod non annumerabatur sodalibus, nec satis laudaverat ipse ut laudaretur ? Quid de Martiali? « Dedit mihi quantùm maximè potuit, daturus ampliùs si potuisset: tametsi quod homini potest dari majus quam gloria, et laus, et æternitas? At non erunt æterna quæ scripsit? Non erunt fortasse; ille tamen scripsit tanquam essent futura. (III. 21). » Unde ista apud eum diffidentia, in pollicendam amicis æternitatem facillimus ? An quia deessent Martiali tum divitiæ, tum imagines? an quia poeta propter versiculos magis quam propter mores laudandus, iste pauperculus, divitis cujuslibet, imò Reguli ipsius laudator, in intimam Plinii societatem non penetravisset?

Quod Tacitus de feminis dicit quarum facilis credulitas ad gaudia, idem de Plinio dicere potuisset; nullus in beatissimum quemque errorem facilior. Scilicet decursu honorum, veterum Romanorum vitam referre sibi visus est : Ciceronis etiam honoribus suos comparat, a Cæsare acceptos: huic alioquin prætori, huic

consuli, suberat scholasticus qui in ipso tribunali magistratus, doleret quod in illitteratissimis rebus versaretur, et respiceret ad auditoria, ad scrinia; hunc senatorem juvat scholas circumire et adolescentulorum admiratione frui; et in ipso rerum actu, senectutem juvenis votis præsumit ubi requiescendi initium, ubi totum denique et sine ullius invidiâ, reddi possit litteris otium. Antiquum se vitâ et moribus credidit: sordet autem isti Romano res maximè Romana, cura prædiorum; rustica rusticosque fugit; pugillares desiderat, et cum eruditissimis commercium, ne qua vox illitterata doctas aures offendat; sancta quidem domus, minimè autem antiqua, ubi lyristæ, comœdi, lectores, librarii. Ciceronem æmulari sibi visus est: ecce autem perierunt actiones; et præcipuum apud posteros illius oratoris monumentum, epistolæ; quas quidem, quum se ad posteritatem succingeret, ut leviora opuscula, et quasi ἐν παρέργῳ sumpta habuisse videtur; cætera enim sua ipse commendavit; epistolas neque ipse laudat, neque laudatas ab amicis commemorat. Illi interea versiculi, quos victuros speravit, periere; quidam superstites, epistolarum beneficio servati, qui quidem, si cum cæteris periissent, meliùs, mehercule, foret poeticæ Plinii nostri gloriæ. Quid verò de speratâ tot amicis immortalitate? Ipse verò, Taciti æmulus, quantò nunc Tacito minor habetur!

At continuo illo circa studia et studiosos labore, profuit saltem litteris Romanis? Non equidem crediderim : hortator magis studiorum, quam censor; et in illâ re multò fuit indulgentior, ubi nonnisi severitate proficitur. Illi prosunt sæculo suo, qui sicut Bolæus noster, publicam quasi censuram agentes, parcè laudant, vehementer reprehendunt ; quibus is est animus ut offensas libenter subeant : illi excubias potiùs circa studia agunt, quam adolescentes ad litteras arcessunt ; illi ad populum provocant, et publicæ hominum opinioni innituntur, quam penes supremum et rectissimum de litteris judicium est. Quæ verò hæc umbratilis gloria? qui plausus auditorii parietes non transituri? quid hoc studiosorum sodalicium ? Optimi omnes, omnes amœnissimi; juvat amare, juvat amari ; num, quæso, de amicissimo liberè judicari potest, præsertim si laudum ipse avidissimus, laudem a laudato exspectes ? Multos quidem impulit Plinus ut honestissimum vitæ oblectamentum per studia quærerent ; quotumquemque suscitavit, qui sæculo Romanisque musis ornamento foret? Multùm de amicis meruit, parùm de litteris — At saltem exemplis profuit ? Oratori quidem diffido qui nimiùm ad plausus respicit ; illa clientium turba hoc ipso Plinio nocuit, quod illis placere voluit, et multa concessit; et dum regere amicos sibi videbatur, illos reipsâ secutus est.

Ne verò ultima de honestissimo viro verba severiora sint: optimus ille in suos, idemque fidissimus ; et ideo in quibusdam peccavit, quia res optimas, mollitiem in amicitiâ, litterarum amorem, ultra protulit quàm satis est. Nonne etiam vanitati jure ignoscatur, quæ invidiâ et malignitate caruit? Nonne opportuna in eum indulgentia, qui, quum gloriam plus æquo affectaret, neminis gloriam ipse insectatus est, neminem depressit? Ita autem dilexit amicos, ita ipse dilectus est, ut et posteri quasi fiant amici, neque eum acriùs increpare velint, tot virtutibus commendatum.

Quod ad nos pertinet, ingrati nobis videremur, nisi Plinii epistolas laudaremus, benignissimam paratamque magistris discipulisque materiem, sive ad mores respicias, sive ad sermonis elegantiam ; prodest in animi mentisque educationem, quidquid laudandum ; prodest etiam, si quid reprehendendum sit. Neque hoc in minimis laudum fuerit, quòd ad formandos adolescentes, utilis sit optimus ille Plinius ; neque, ut opinor, ea illi gloria displiceat, qui adolescentes dilexit. Facilis eorum fuga, in quibus Plinius nimius fuit; doceat verò quo animo amplectenda sint illæ humaniores litteræ, quæ illum et felicem fecerunt, et meliorem; inde quæratur, illo duce, et vitæ dignitas, et aliquando levamen:

« Et gaudium mihi, inquit, et solatium in litteris ; nihilque tam lætum, quod his lætius ; nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. » (VIII. 19).

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonâ,
a. d. XI cal. Jun. ann. MDCCCLXXV.

Facultatis Litterarum in Academiâ Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX RERUM.

PRÆFATIO 1

I. Quantum et quale, Plinii temporibus, circa litteras studium 4

II. De Vitâ Plinii 12

III. Quæ fuerit Plinii indoles. 21

IV. Quàm immodicus Plinius in studendo. 31

V. Quæ fuerint Plinii de philosophiâ, de Diis, de rebus publicis opiniones 34

VI. De nimiâ apud Plinium laudum appetentiâ. 44

VII. Quem locum inter studiosos Plinius tenuerit. . . . 52

VIII. Qualis Plinio cum Tacito amicitia. 75

IX. Quomodo et quem in finem Plinius epistolis usus fuerit. 84

CONCLUSIO 99

Duaci. — Excudit Ceret-Carpentier.



Lp 27.251
Qualem apud aetatis suae studiosos
Widener Library
006162735
3 2044 085 224 079